Digitized by Google

9102
juris B. 27. f. 21

Priorius philippe

DE LITERIS CANONICIS DISSERTATIO.

EX BIBLIOTH PUB COLLEG LUGDUN.
BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE DE LYON

338080

PHILIPPI PRIORII DE LITERIS CANONICIS DISSERTATIO,

CUM APPENDICE

DE TRACTORIIS ET SYNODICIS.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1896



PARISIIS,
Apud LUDOVICUM BILLAINE,
in Palatio Regio.

M. DC. LXXV.
CUM PERMISSU.

PHILIP. PRIORIUS LECTORI.

ANNI ſunt quatuordecim, LECTOR, quibus abſens, & in extremis Regni finibus, vitam agens privatam, non tamen obſcuram; te vix ſemel publice allocutus ſum, neque in editis jam lucubrationibus ſatis amplam conſilii mei reddendi occaſionem adeptum me exiſtimavi. Nunc vero in vrbem quaſi poſtliminio

reverſus, ſtudiorum & inſtituti mei rationem aliquam reddere tibi pro conſuetudinis imperio, omnino neceſſarium duxi. In illo quidem ſeceſſu, quamquam acerba omnia expertus ſum, nihil tamen acerbius viſum eſt, quam ab amicorum ſocietate divelli: & maxime ſuaviſſimo literarum contubernio, quarum in caſtris merueram, & quibus omne anteactæ vitæ tempus impenderam. Hæc & alia quamplurima, quibus me fortuna hinc & inde exercuit, Chriſtiana nobilitate facile identidem concoxi: & ſi quid otii nan-

ciſci potui, cum mea qualicumque ſuppellectile libraria, illud fallere, nec eo ſegniter abuti conatus ſum. Ac cum ab ineunte ætate, antiquitatis maxime, rerumque Eccleſiaſticarum vehementi ſtudio flagrarem, ea mihi ſedulo comparanda propoſui adjumenta, quæ ad aſſequendam cognitionem aliquam vſui eſſe, aut ad id conferre putavi: in eo haud male collocatam operam arbitratus, ex quo doctior evadere, & veterum Chriſtianorum mores, in ea quam nunc profiteor vivendi ratione, exprimere poſ-

ſem. Liberalibus primum ſtudiis & bonis artibus incumbentem, Theologiæ majeſtas ad ſe rapuit; tum Mathematica, quæ me grata compede vinctum, diu retinuit. In iis omnibus, quantum profecerim, neque tua intereſt, neque etiam meum eſt dicere. Linguarum deinde cognitionem ſummopere neceſſariam cum probe noſſem, iiſdem impigre incumbere cœpi: tum vt difficiliora veterum loca facilius intelligerem, eorumque ſenſum haurirem ab ipſis fontibus; tum maxime, quod multos qui ad cælum

vſque extolluntur, his deſtitutos auxiliis, in fœdiſſimos errores prolapſos eſſe animadverterem. Hac ope fretus, veterum Patrum ſcripta, Conciliorum canones, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores aggreſſus ſum; eo tantum conſilio, vt memetipſum inſtruerem, & ad priſtinum religionis Chriſtianæ nitorem, mores meos exigerem. neque enim hiſtoria vel ſomniando mentem vnquam ſubierat. Sentiebam optime arduum eſſe de rebus ejuſmodi ſeriem contexere, & omnibus probari, tot difficillimas quæ-

ſtiones explicare, inter ſe vt plurimum pugnantes, & iis qui in partes ſeceſſerunt, omnino placere; quod nemini ad hanc vſque diem contigit, nec vlli, niſi ad invidiam felici, contingere poteſt. Non eas etiam eſſe vires meas intelligebam, & aliis hanc clavam lacertis committendam arbitrabar: animum tamen non deſpondi, plenis, vt aiunt, velis; aliquando rudentes laxavi, ſtilo liberius indulſi, eoque demum deducta res eſt, vt inter ſchedas & libellos opiſtograghos, multorum etiam voluminum hiſtoriam de re-

bus Eccleſiaſticis numerarem. Quod autem ſummis belli ducibus contingere accepimus, vt copias in ſtatiuis habeant, quibus vti poſſint, ſi quæ rei bene gerendæ ſe obtulerit occaſio. Commentarios veluti ſpongiæ incumbentes in ſepoſito habui, quibus ea poſtmodum facta eſt acceſſio, vt in ingentem molem opus excreverit. An vero quod votorum meorum ſummum eſt, opus iſtud in lucem erumpat, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Tot quippe me difficultatibus circumquaque obſeptum intueor, vt de editio-

ne deſperem; niſi ſummus rerum omnium moderator Deus, pro ſua inexhauſta bonitate, rei perficiendæ modum nobis ſuppeditet; cui vni in ſolidum debemus, ſi quidquam boni præſtare poſſumus. Dum vero occaſionem illam opperior, hanc de Canonicis Literis, ſive Formatis Diſſertationem, quaſi in anteceſſum dare, neque inutilem, neque tibi ingratam fore ratus: eam boni conſulturum te mihi pollicitus ſum. Ex hac porro, ſi quid ſplendoris in Eccleſiam & in religionem vtilitatis, redundare intellexe-

to, a me alia quædam ex eadem antiquitate petita ſperare poteris, quæ ſi non omnibus, ſaltem eruditis, ac tibi potiſſimum haud aſpernanda fore confido. Veterum quippe Conciliorum canones diligenter expendens, pro eo quo in religionem & literas amore inflammatum me ſemper profeſſus ſum, in privatos vſus nonnulla obſervavi, quæ ad priſcos Eccleſiæ ritus plurimum faciunt, & Chriſtianam rem magnopere illuſtrant. Neque a me hæc eo conſilio dicuntur, vt mihi plus æquo tribuam, & anti-

quitatis arcana intimoſque receſſus penetraſſe me exiſtimem; ſed vt in iis mediocriter verſatum eſſe me agnoſcas. Nihil enim mihi vindico præter amorem literarum, & ſincerum religionis cultum, in quo ſane a nullo me vinci vnquam patiar. In hac vero de Literis Canonicis Diſſertatione, ſi alicubi erraſſe me animadvertas, Lector; non majorem a te moderationem ea poſtulo, quam in aliorum reprehendendis erroribus adhibere me perſpicies. Si quis enim arguendus erit, id honorifice præſtabo, nec

inclementius quidquam a me proferetur, quamvis ea plerumque vulnera occurrant, quæ niſi acriter pungas, adhibito etiam cauterio, vix ſanare poſſis. Pudorem non ita nobis periiſſe velim intelligas, vt ventoſam quorumdam jactantiam imitemur, qui nihil ſe neſcire credunt, & extra omnem erroris ſuſpicionem, cæteroſque Thraſonico faſtu deſpiciunt, & adunco naſo ſuſpendunt. Humanum nihil alienum a nobis putamus; illudque a te poſtulamus, vt priuſquam judicium feras, æquis lancibus

omnia ponderes, ne forte erubeſcas, ſi a ſententia, ſive ex præjudicio, ſive pro cupiditate lata, tibi aliquando fuerit recedendum.

SYLLABUS RERUM QUÆ IN HAC DISSERTATIONE CONTINENTUR.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

I. UTILITAS *operis varias ob cauſas.*
II. *Ordo & diſpoſitio.*
III. *Quid Literæ Canonicæ, & quam ob rem datæ.*
IV. *Earumdem origo.*
V. *Mira Chriſtianorum hoſpitalitas.*
VI. *De teſſera hoſpitali apud Gentiles.*
VII. *De eadem apud*

Chriſtianos, & Peregrini impoſtoris hiſtoria.

VIII. *Quam ob cauſam Peregrinum expulerint Chriſtiani*, &c.

IX: *Judæorum in hoſpites ſuos liberalitas, commendata Chriſtianis*, &c.

X. *Uſus primis temporibus.*

XI. *Qua maxime occaſione conſcriptæ literæ.*

XII. *De communione Chriſtiana & peregrina.*

XIII. *Literæ communicatoriæ.*

XIV. *Literarum commercium & diſtinctio.*

XV. *Nomen & notæ literarum.*

XVI. *Epiſcopi canoni ſubditi, & de ſigillo,* &c.

XVII. *Formatæ, vnde ſic dictæ.*

XVIII. *Quid vere ſit Formata.*

XIX. *Illud aſſeritur & certiſſime probatur.*

XX. *Vitanda quorumdam interpretatio,*

& literarum accurata diviſio, &c.

XXI. *Literæ pacificæ, & laicorum.*

XXII. *Literæ pacis, & libelli Martyrum.*

XXIII. *Commendatitiæ exponuntur, canonum Nicænorum numerus expenditur.*

XXIV. *Eccleſiæ ſcopus & conſilium in ſcribendis literis.*

XXV. *Peregrinatio prohibetur ſine Canonicis.*

XXVI. *Examen literarum,* &c.

XXVII. *Idem ſtatuitur.*

XXVIII. *Vagandi licentia reprimitur.*

XXIX. *De longinquo itinere.*

XXX. *Singulares literarum notæ.*

XXXI. *Unio & commercium ope literarum.*

XXXII. *Neceſsitas earumdem Romam petentibus.*

XXXIII. *Miſsis a Pontifice Rom. non erant neceſſariæ.*

XXXIV. *Epiſcopi abeſſe non poſſunt plus quam tribus hebdomadibus.*

XXXV. *Literæ Patriarchæ Conſtantinopolitani.*

XXXVI. *Ad Pontificem Romanum has literas mittere vetitum.*

XXXVII. *Literæ olim ad ludos Circenſes.*

XXXVIII. *Literæ datæ laicis, vſus Arabum.*

XXXIX. *Epiſcopi vt e diœceſi egrediantur, literas debent obtinere.*

XL. *Epiſcopi ſine literis ad Synodum, Synodus non dicta ideo Synodus.*

XLI. *Canones iſtud evincunt, &c.*

XLII. *Pontifex Rom. jus ſuum dandi literas cum aliis Epiſcopis communicat.*

XLIII. *Sine literis Epiſcopi non habiti Epiſcopi, & Monachi.*

XLIV. *Lex Juſtiniani Imperatoris.*

XLV. *Literarum vſus alius & amplitudo.*

XLVI. *Forma literarum, &c.*

XLVII. *Petitur ex Concilio Nicæno I.*

XLVIII. *Atticus Conſtantinopolitanus rem conficit & formulam.*

XLIX. *Numeri qui vulgo adhibebantur, & characteres.*

L. *Exemplar Canonicæ.*

LI. *Litera Teutgaudi Trevirenſis.*

LII. *In eadem Hegilo Presbyter commendatur.*

LIII. *Numeri expenduntur,* &c. *Syſtaticon item Græcorum.*

SYLLABUS APPENDICIS.

1. *DE Tractoriis & Synodicis conſulto hic agi proponitur.*
2. *Alia literarum genera reprobantur.*
3. *Tractoriæ explicantur.*
4. *Aliæ obiter & aliud agendo.*
5. *De eadem re adhuc.*
6. *Defenſio Garſiæ Loayſæ.*
7. *Confeſſoriæ.*
8. *Tractoriarum nomen & origo.*
9. *Quæ ſint Tractoriæ.*
10. *A quibus datæ.*

11. *Jus Tractoriarum.*
12. *Tractoriæ in Eccleſiam invectæ.*
13. *Qua de cauſa, & qua ratione datæ.*
14. *Publica evectio, & commeatus.*
15. *Gothofredus defenditur.*
16. *Neceſſariæ ad Synodum aut Comitatum pergentibus.*
17. *Tractatoriarum falſitas, Baronius defenditur.*
18. *Tractoriæ aliquando encyclicæ.*
19. *Metropolitanorum Tractoriæ.*
20. *Tractoria Zozimi PP. &c. Synodalis.*

21. *Litera conceſſa ab Epiſcopis, ſuis Vicariis.*

22. *Pœnitentium literæ.*

23. *Rejiciuntur alia literarum genera; tum ex Jure Civili, tum ex vſu Eccleſiæ.*

24. *Synodicæ.*

25. *Synodicæ aliquando Tractoriæ.*

26. *Exemplum e Sozomeno.*

27. *Singulares non erant.*

28. *Oratio Synodica, alia a litera Synodica.*

29. *Synodica Concilii Pariſienſis I. ad Orientales Epiſcopos, & de Paſchalibus literis.*

30. *Conſtantini M. Synodica de Paſchate, & obiter de Calendario.*

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1896

PHILIPPI PRIORII

DISSERTATIO

DE

LITERIS CANONICIS.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1876

1. SI continua morum probitate & non interrupto rerum vſu, eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritas ad nos vſque pura & illibata perveniſſet, ignota forent tot quæſtionum ænigmata, quæ & ſtudioſorum torquent ingenia, & non ſine magna plerumque contentione diſcutiuntur. Qui fieri enim poſſet

vt vel levis dubitandi occaſio in explicandis antiquis ritibus occurreret, ſi ritus ipſi remanerent, ſi nobis pura & integra religionis Chriſtianæ diſciplina aſſidua eorumdem rituum obſervatione a majoribus noſtris tradita eſſet? Quum tamen non leves apud eruditos rerumque eccleſiaſticarum gnaros controverſiæ agitentur, & ab ipſis religionis ſanctiſſimæ incunabulis, ſive calamitatum, quas graves quidem experta eſt, magnitudine, priſtinæ diſciplinæ vehemens ardor deferbuerit; ſive proclivi & innata ad deteriora propenſione, elanguerit facilè alacritas illa Chriſtianorum peculiaris, quæ adverſarios toties in admirationem rapuit: inde

factum putem vt antiquos ritus ſuperiorum temporum naſcentiſque Eccleſiæ leges expendenti tot ſuboriantur difficultatum labyrinthi, quarum intricata ac perplexa diſquiſitio, ad alia properantes ſoleat retardare. In eo quippe verſantur errore poſteri, in quem majorum ſuorum negligentia prolapſi ſunt; in eas ſcilicet tenebras delati, quæ non aliunde quam ex recta vivendi ceſſatione, & ſpreta obſervatione divini cultus provenire videntur. Non defuerunt equidem variis temporibus viri docti, quorum vigiliis & lucubrationibus debemus, vt dubiis quibuſdam lux allata ſit, explicati ſint canones alias obſcuri, quæſtiones difficillimæ non ſine eruditionis

laude diligenter excuſſæ & examinatæ videantur. Adhuc tamen poſt tantam meſſem & in vberrima doctrinæ ſegete ſpicilegium quoddam reſtat. Et ſane fieri nequit, vt in tam ampla materia rerumque graviſſimarum varietate, innumeræ non ſint difficultates & ſalebræ, quæ aut oculos fugiant, aut hominis quantumvis eruditi captum ſoleant ſuperare. Quis enim, prætermiſſis aliis quæſtionibus, de Literarum Canonicarum vſu & ratione apud majores noſtros certo pronuntiare poſſit? aut quis antiquos canones de iis ſatis luculenter locutos audeat affirmare? Quis etiam ſcriptorem vllum pro ea qua par eſt diligentia in hanc vſque diem de iiſdem

egiſſe prædicaverit, nec obiter aut aliud agendo factum, aut ſegniter? Et vero quis neſcit poſteriorum temporum vſu contigiſſe, vt mutatione primum levi, ac ſenſim poſtea abierint in deſuetudinem audacia intolerabili? Hæreticorum hac in re technas & artes non attingo, qui nervos omnes contendere vbique viſi ſunt, vt aut rem tam ſalubrem ac tam laudabilem penitus tollerent, aut pro nutu ac cupiditate corrumpere niterentur. Eò tandem deducta res eſt, ſive propter difficillima Eccleſiæ tempora, ſive hominum negligentia, vt levia quædam antiquitatis illius veſtigia nobis ſolum remanſerint, & tanta quidem caligine adumbrata, vt vix

agnoſcantur ; & haud facile ſit aſſequi, etiam eruditioribus, quid in hoc certo tenendum, quid ſtatuendum. Cum eruditos aliunde frivolis quibuſdam quæſtionibus, ac nugatoriis argumentis tempus omne impendere animadverterem, purioris doctrinæ & ſublimioris Criticæ ſtudia negligere, nec multum, vel ſane parum, curare quid religioni Chriſtianæ debeant: Peſſimum factum, inquam, itane religionis cultus negligetur? itane ſæcularibus ſtudiis homines ſe devovebunt, & plerumque noxiis, vt pro vera eruditione fumos ſectari velint, & quod Ixioni contigit, vmbram pro vero corpore amplectantur? Quid enim proderit iis operam ſtudiis

inſumere, ex quibus nec doctior, nec melior evadas? Quid varia & multiplici rerum cognitione mentem obruere, niſi ad religionem in qua nati ſumus, cujus auctor & conſervator eſt Chriſtus, animum ſerio appellamus; niſi ſi quid in nobis eſt ingenii, eo vigiliæ omnes ſpectent, & noſtræ tendant lucubrationes, vt quantum in nobis ſitum eſſe poterit, illius amplitudini ac ſplendori velificemur? Quæ cum apud me identidem reputarem, ſubiit animum cogitatio, me rem neque Deo ingratam, neque religioni inutilem præſtiturum, ſi quæſtionem alioquin obſcuram clare omnium oculis ac velut in theatro exponerem, & quid de hac ſentien-

dum perſpicue certiſſimis & ex antiquorum penu depromptis teſtimoniis docerem.

II. Ne vero in difficillima quæſtione explicanda ſtudioſorum animos multiplici rerum cognitione & confuſo dicendi ordine obtundamus, enitar totis viribus vt in tam ampla materia clare & perſpicue Canonicarum Literarum originem, varios vſus, ac cætera denique ejuſdemmodi docuiſſe nemo diffiteatur.

III. Ac primum quidem obſervandum venit Canonicas Literas apud Græcos ſcriptores genus omne literarum teſtimonialium, comprehendere, qua ratione apud Latinos Formatarum nomine religionis Chriſtia-

næ quælibet teſtimonia continentur. Sunt autem Formatæ ſive Canonicæ Literæ, teſtimonia quædam certiſſima fidei illius cui conſcribebantur, quique eas deferebat. Hæ quippe commendationem vt plurimum continebant; ac ſi is cui tradebantur, pecunia, conſilio, aut quavis ope indigeret, aderant ſtatim fratres, ipſiuſque neceſſitati ſubveniebant. Quod non ſine magna cautela obſervatum eſt, variis quidem temporibus. Metropolitani quippe erat expendere ac diligenter examinare ne ejuſmodi literæ juſtam forte non continerent petitionem. Alexius Ariſtenus ad can. 9. Concilii Sardicenſis de Epiſcopis qui ad Coepiſcopos ſive Metropolitanos

quoſdam mittunt literis commendatitiis munitos, refert, Metropolitanum oblatas ſibi Diacono literas examinare, μήποτε οὐ δικαίαν τὴν αἴτησιν ἔχωσιν. atque vbi illas probaverit, ſuis commendatitiis literis portitorem illum Diaconum adjuvabit, efficietque vt in aula degentes Epiſcopi Diacono opem ferant, καὶ οὕτω μετὰ τὸ δοκιμάσαι ταύτας, γράμμασιν αὐτοῦ καὶ συστατικαῖς ἐπιστολαῖς τὸν ἀποστελλόμενον ἐνισχύσει. . . . καὶ ἀξιώσει τοὺς μετὰ τοῦ βασιλέως διάγοντας ἐπισκόπους ἀντιλαβέσθαι τοῦ διακόνου. Non aliter in Concilio Eliberitano can. 58. *Placuit vbicunque, & maxime in eo loco, in quo primæ cathedræ conſtitutus eſt Epiſcopus, vt interrogentur hi qui communicatorias literas tradunt*, &c. Commu-

nicatoriæ literæ ſunt Formatæ; & qua de cauſa ita vocentur, docebimus. Quoniam vero variis de cauſis, nec vna ſemper ratione conceſſæ ſunt, earumdem variæ conſtituuntur ſpecies, de quibus ſigillatim in hac Diſſertatione agendum.

IV. Quod ad originem ſpectat, non adeo certa res eſt, cum tamen certiſſimum ſit, earum vſum ſervatum fuiſſe in ipſis religionis noſtræ primordiis. Ex admirabili ego Patrum noſtrorum erga invicem charitate profectum crediderim, vt Clericis laicíſque, ſi peregre proficiſci contingeret, ſi res aut eccleſiaſticæ, aut privatæ poſtularent, ſi vitæ purioris aut doctrinæ ſplendore eſſent ſpecta-

biles, concederentur illa teſtimonia, quorum beneficio, apud exteros fratrum neceſſitas ſublevaretur, & ſalva Eccleſiæ diſciplina aleretur concordia, & pacis animorumque conſenſio. Illud abunde teſtatur Optatus Milevitanus lib. 2. adverſus Parmenianum. *Damaſus*, inquit, *cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum, & vna communionis ſocietate concordat.* Sanctus quoque Auguſtinus multis in locis, & maximè epiſt. 163. loquens de Eleuſio & ſociis. *Hic primo aſſerere conatus eſt*, inquit, *vbique terrarum eſſe communionem ſuam. Quærebam vtrum epiſtolas communicatorias quas Formatas dicimus, poſſent quo vellent, dare.* Literarum igitur Formatarum opera communica-

tio, ſive conſortium concedebatur; & qui hiſce literis deſtitutus peregrinabatur, auxilium non modo nullum ſperare poterat, ſed nec Chriſtiani convivii, ſeu ſacræ ſynaxeos particeps eſſe poterat: quod ſuo loco inferius multis demonſtrabimus.

V. Quis non miretur majorum noſtrorum ardorem zelumque religionis puriſſimæ, qui egenis ſubſidium tanta ſedulitate impertiebantur, & Eccleſiæ ejuſdem ſocietatem illa veluti teſſera, comprobabant? Illud eſt quod innuit Tertullianus de præſcriptionibus adverſ. hæreſ. cap. 20. *Sic omnes*, de Eccleſiis loquitur, *prima, & apoſtolicæ, dum una, omnes probant unitatem: dum eſt illis communica-*

tio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis: quæ jura non alia ratio regit, quam ejuſdem ſacramenti traditio. Chriſtianis vero non ſolum id hoſpitii jus vſurpatum fuiſſe, ſed etiam ab ethnicis, evincunt eorum ritus, quibus inter privatos, atque etiam inter populos & civitates, illud amicitiæ jus colebatur: inde apud ipſos προξενία, ſive publicum hoſpitium, & ἰδιοξενία, ſive privatum hoſpitium. Illius amoris nota erat teſſera, quæ in duas partes frangebatur, quarum vnam hoſpes retinebat, alteram vero amico dabat. Unde Iaſon apud Euripidem ſymbola ſeu teſſeram liberali manu largiebatur in Medea.

. . . ὡς ἕτοιμος ἀφθόνῳ δοῦναι χερὶ,

ξένοις τε πέμπειν σύμβολα. . . .

VI. Ad quem locum Scholiaſtes Græcus : οἱ ἐπιξενούμενοι τινὶ ἀστράγαλον κατατέμνοντες, θάτερον μὲν αὐτοὶ κατεῖχον μέρος, θάτερον δὲ κατελίμπανον τοῖς ὑποδεξαμένοις· ἵνα εἰ δέοι πάλιν αὐτοὺς ἢ τοὺς ἐκείνων ἐπιξενοῦσθαι πρὸς ἀλλήλους, ἐπαγόμενοι τὸ ἥμισυ ἀστραγάλιον, ἀνενεοῦντο τὴν ξενίαν. hoc eſt: *Peregrini teſſeram confringentes aliam partem ſervabant, alteram vero hoſpitibus; ut ſi iterum ſe ſe invicem inviſere contingeret, aut aliquem ex liberis, mediam illam teſſeram exhibentes, hoſpitalitas renovaretur.* Teſſera nimirum illa dicebatur hoſpitalis teſſera ſive pignus, quo qui muniti erant, laute excipiebantur. Tritum illud eſt Plauti in Pœnulo act. 5. AG. *Si quidem Antidamæ De-*

marchi quæris adoptatitium, ego ſum ipſus quem tu quæris. Poen. *Hem quid ego audio?*

Ag. *Antidamæ gnatum me eſſe.* Poen. *Si ita eſt, teſſeram conferre ſi vis hoſpitalem, eccam attuli.*

Ag. *Agedum huc oſtende. eſt par probe, nam habeo domi.*

Poen. *O mi hoſpes, ſalve multum; nam mihi tuus pater,*
pater tuus ergo hoſpes Antidamas fuit:
hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo fuit.

Ag. *Ergo hic apud me hoſpitium tibi præbebitur.*

Tam arcta vero erat neceſſitudo quæ per hoſpitalitatem interveniebat, vt qui jus hoſpitii violaſſet,

laſſet, teſſeram illam confregiſſe diceretur. Idem Plautus in Ciſtell. rem explicat.

Abi quærere vbi tuo jurejurando ſatis ſiet ſubſidii:
Hic apud nos jam, Alceſimarche, confregiſti teſſeram.

VII. Apud ethnicos igitur jus hoſpitii ſervatum, legeſque latas vt peregrini humaniter exciperentur, nullus dubitare poteſt: Eſt tamen aliquid magis adhuc attendendum. Cum enim Chriſtianos animadverterent Gentiles in ea dilectione totos eſſe, illud officii genus, in quo a Chriſtianis ſane vincebantur, poſtmodum æmulari conati ſunt, ſive vt fucum facerent & impoſturam, ſive vt ſimulata caritate parum cautos ad ſe allicerent,

De Juliano Imperatore nullus eſt dubitandi locus. Cum Julianum dico Auguſtum, monſtrum odio in Chriſtianos quam maximo, fraude, impoſtura & impietate ſumma conflatum dico. In admirationem rapiebatur ſceleſtus apoſtata ob ingentem animi vim & curam quam de peregrinis ſuſcipere conſueverant Chriſtiani, illudque ſtatim officii genus imitari ſtatuit, vt virus ſuum callidius inſtillaret periculoſiuſque. Id verbis ampliſſimis teſtatur Gregorius Nazianzenus orat. 3. quæ prima eſt in Julianum: ἔτι δὲ καταγώγια πήξασθαι καὶ ξενῶνας· ἁγνευτήριά τε καὶ παρθενῶνας καὶ φροντιστήρια, καὶ τὴν εἰς τοὺς δεομένους φιλανθρωπίαν, τήν τε ἄλλην ὁπόση, καὶ τὴν ἐν ἐπιστολιμαίοις συνθήμα-

σιν, οἷς ἡμᾶς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος τοὺς χρήζοντας παραπέμπομεν· ἃ δὴ καὶ μάλιστα τῶν ἡμετέρων εἶχε θαυμάσας. hoc eſt : *Diverſoria inſuper & hoſpitia conſtruere, pudicas item domos, monaſteria, & virginum ſocietates, humanitatemque ſimul erga pauperes, aliamque quamlibet ſitam in Epiſtolis Commendatitiis, quibus egenos de gente ad gentem migrantes communire ſolemus ; quæ maxime in nobis mirabatur.* Ac ne quis Gregorii Nazianzeni fidem elevare nitatur, a quo licet pio & chriſtiane erudito diſſentire velle teſtantur plerique, male feriati homines, in iis quæ Julianum ſpectant, rem de qua agimus ex aliis vt diſcant, conſilium damus. Quæ affert Nazianzenus, fere ad verbum habet Paulus

Diaconus hiſt. miſc. l. 11. de Juliano ipſo: Julianum quippe ait præcipue zelatum fuiſſe notas literarum Epiſcopalium, quibus peregrinos commendare conſueverant Chriſtiani, qui vbique magno amoris teſtimonio excipiebantur, & tanquam amici, harum literarum teſtimonio & adminiculo. Julius Pollux in Chronico idem ferme his verbis Julianus plebem decepturum ſe arbitratus, Chriſtianorum beneficentiam æmulari finxit, adeoque hoſpitiis & pauperum diverſoriis neceſſaria præbere imperabat, Syſtaticaſque Literas conſcribere nitebatur, cæteraque pietatis officia adimplere: illud enim probat epiſtola quam ad Arſacium miſit Græcorum in

Galatia Epiſcopum. Ἰουλιανὸς τοὺς δήμους ἀπατᾶν οἰόμενος, τὰς χριστιανῶν εὐποιΐας μιμεῖσθαι καθυπεκρίνατο· διὸ ξενῶσι καὶ πτωχοῖς χορηγεῖσθαι προσέταττε· καὶ τὰς συστατικὰς ἐπιστολὰς ἐσπούδαζε γράφεσθαι, καὶ τὰς λοιπὰς εὐσεβείας ἠθελὲς γίνεσθαι· δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ ἐπιστολὴ, ἣν πρὸς ἀρσάκιον τὸν ἀρχιερέα τῶν ἐν γαλατίᾳ ἑλλήνων ἐπέσταλκεν. Refertur hæc epiſtola tota a Sozomeno lib. 5. c. 16. hiſt. Eccleſ. pag. 68. edit. Græcæ Roberti Stephani, verbiſque multis idem refert ac Gregorius Nazianzenus, additque: οὐχ ἥκιστα δὲ ζηλῶσαι λέγεται τὰ συνθήματα τῶν ἐπισκοπικῶν γραμμάτων, οἷς ἔθος ἀμοιβαδὸν τοὺς ξένους ὁποιδήποτε διϊόντας, καὶ παρ' οἷς ἂν ἀφίκωνται πάντως κατάγεσθαι, καὶ θεραπείας ἀξιοῦσθαι, οἷά γε γνωρίμους καὶ φιλτάτους διὰ τὴν τοῦ συμβόλου μαρ-

πορείαν, ταῦτα διανοούμενος ἐσπούδαζε τοὺς ἑλληνιςὰς προσεθίζειν τοῖς τ῀ χρι-ςιανῶν ἐπιτηδεύμασιν. hoc eſt: *Maxime vero imitatus eſſe dicitur teſſeras literarum Epiſcopalium, quibus mos eſt peregrinantes ſe invicem undequaque excipere, & humaniter tractare, quaſi notos & amicos, propter illud teſſeræ ſignum. Illud autem agens nitebatur Græcos, ſeu Gentiles Chriſtianorum inſtitutis aſſuefacere.* Sed evidentius nunquam patebit quo amore peregrinantes Chriſtiani ſibi invicem aderant Literarum Canonicarum beneficio, quam ex iis quæ Lucianus Theonino dente, ac tanquam hoſtis infenſiſſimus, refert, de Peregrino ad Cronium, cujus hiſtoriam non ab re erit paucis attingere, quoniam ad inſtitu-

tum noſtrum magnopere facere videtur. Peregrinus itaque, vt paucis abſolvam, Philoſophus fuit, & γεαικὸς ἐπιθέτης, impoſtor revera ac profligatiſſimus nebulo, qui tanquam Proteus formas omnes induebat, vt notarunt ſcriptores etiam profani non ignobiles, Gellius lib. 12. Noct. Attic. & Ammianus Marcellinus lib. 29. & ad quodlibet ſcelus patrandum paratum ſe proponebat. De ſcelerato illo Peregrino merito illud vſurpare poſſumus, quod de Proteo ſuo teſtatur Homerus Odyſſ. δ. qui vel maris antra profunda noverat, vtpote qui Neptuni famulus:

. . . . . ὅςε θαλάσσης
πάσης βένθεα οἶδε Ποσειδάωνος ὑποδμώς.

Scelerum omnium graviſſimorum reus, patrium ſolum vertere propter ſuam immanitatem & vitæ turpitudinem coactus eſt. Tandem cum eſſet rerum omnium egenus, gentes ſtatim omnes ac nationes animo luſtrare cœpit, vt aliquam ſibi eligeret in qua ſedem figere poſſet, ſibique ad vitæ neceſſaria cuncta ſuppeditarentur. Gentem vero nullam Chriſtianis parem proſpexit, apud quos peregrinantes tanta humanitate & amore tam ſincero exciperentur, maxime ſi ejuſdem eſſe religionis certo conſtaret. Ad eos igitur ſtatim confugit, Chriſtianam religionem velle ſe amplecti fingit, & omni aſſeveratione confirmat. Nec diu cunctan-

dum rati majores noſtri in homine non de nihilo, & de quo magna ſpes jam erat concepta, Baptiſmo initiatum exponendis ſacris libris præponunt, in quo ſatisfacere conceptæ de ſe opinioni apud nonnullos videbatur: atque vt erat ad ſimulationem egregie compoſitus, libellos quoque propoſuit, quo facilius fraudem ſuam tegeret. Eo autem impietatis devenit, vt tacite cum gentilibus quibuſdam ageret, eo fine, vt quaſi religionis Chriſtianæ poſtulatus ac deprehenſus in carcerem detruderetur. Quis interim gemitus & ſuſpiria exprimere poſſet, quibus carcerem illum & Peregrini calamitatem deflebant Chriſtiani? Quanta cura & ſollicitudine,

omnia non modo ad vitam neceſſaria adjumenta ad copiam vſque pro more gentis adminiſtrata ſunt? ſed & ſolatii genus omne quanto ſtudio adhibitum eſt? Videres impoſtorem in carcere quaſi Apoſtolum de catenis gloriantem, & accedentes vndique homines qui dolorem ſuum qua poterant ratione, teſtarentur. Emicabat hoc in caſu quid poſſet Chriſtiana caritas, cum eſſet nemo, qui ſtipem ſuam non conferret vt ex illo carcere Peregrinus eximeretur. Eum opibus abunde omnes cumulabant, & votis acclamationibuſque proſequebantur. καὶ δὴ καὶ τῷ περεγρίνῳ πολλά τότε ἧκε χρήματα, παρ' αὐτῶν ἐπὶ προφάσει τῶν δεσμῶν. *Et ſane*, inquit Lucianus,

magnæ opes Peregrino afferebantur tunc ab ipſis, illo carceris obtentu. Ac quoniam non iſta ſerio, ſed fraudulenter & per ſummam impietatem gerebantur, a Syriæ Præſide, cum quo conſilium iniverat, carcere ejicitur, nummorum plenus, quos ſua impoſtura & æruſcatione corraſerat. Et quod mirari nemo ſatis poſſit, nolentem mortemque fictitia illa perſona appetentem Præſes liberaſſe viſus eſt! Patriam hoc ludo peracto repetiit ditiſſimus, & ſecundam peregrinationem inſtituit, qua & opes Chriſtianas ſua ſimulatione affligeret, gentemque tam pie credulam nationibus vniverſis deridendam proponeret. Verum de ſpe ſua decidit, nec felicem

ſatis ſucceſſum habuit, perinde ac in prima peregrinatione, aperta nimirum & propalata ejus impietate. Tunc vero animi dubius, & anxius quo exitu infamem vitam tandem finiret, poſt tot fraudes, perſonam quam induerat, inaudito facinore exuit, dum publice & ſolenni concione comburi voluit. Nefariæ vitæ inconſtantiam cæteroſque errores attexerem, niſi ad demonſtrandam Chriſtianorum pietatem erga peregrinos, inſtituti ratio me revocaret. Si quis plura voluerit, Lucianum legat de morte Peregrini. Secundam ſcilicet peregrinationem adornavit, in qua fabulam e re ſua non bene egit. Ibat, inquit Lucianus, qui & hominis

genium noverat, vtpote qui iiſ-
dem vixit temporibus, & hiſto-
riam quam de vivicomburio præ-
ſens oculis ſuis viderat, nobis
conſcriptam tradidit, ſecundo
peregrinaturus, ſatis ſufficiens
viaticum in Chriſtianis ſitum eſſe
arbitratus, quibus ſtipatus, re-
bus omnibus affatim munitus
erat, & per aliquod tempus eo
pacto alebatur. ἐξῄει οὖν τὸ δεύτε-
ρον πλανησόμενος ἱκανὰ ἐφόδια τοὺς
χριστιανοὺς ἔχων, ὑφ' ὧν δορυφορούμενος,
ἐν ἅπασιν ἄφθονος ἦν, καὶ χρόνον μέν
τινα οὕτως ἐβόσκετο.

VIII. Qua de cauſa impoſto-
rem abegerint Chriſtiani, ſi Lu-
cianum audiamus: ideo ejectum
videbimus, quod in religionem
flagitium quoddam perpetrave-
rat. Contigit enim ipſi, vt opi-

nor, inquit Lucianus, illis vetitum quidpiam comedere. παρανομίσας τι καὶ εἰς ἐκείνους, ὤφθη γάρ τι ὡς οἶμαι ἐσθίων τῶν ἀποῤῥήτων αὐτοῖς. Revera ideo expulſus, quod ejus fraudes detegerentur; etſi veriſimile ſit aliquid ipſum ex idolothytis, ſanguine & ſuffocato comediſſe, aut etiam ex infanticidio: quod quidem ſcelus facile tunc temporis, quamvis falſo ab ethnicis in Chriſtianos detorquebatur, propter infames hæreticos, qui & a vera fide defecerant, & peſſimis flagitiis ſe ſe contaminabant. Gnoſticos, Carpocratianos, Nicolaitas cæteroſque referre hic eſſet inutile, quorum nimium quam ſatis nota eſt infamia.

Nemo igitur non perſpicit,

quo ſtudio, qua animi alacritate majores noſtri fraternitatis notam & dilectionem alebant; & religionis morumque in eadem fide communionem ſervabant; cum eorum hoſtes infenſiſſimi tam aperte loqui ac ſentire videantur.

IX. Illud vero apud Judæos non minori cura vſurpatum eſt olim, noſtriſque etiam temporibus id eis vſuvenire ſolet. Illius enim amoris ac commercii non levia remanent veſtigia, ſed quod magis ſpectandum, certiſſima in eorum hodiernis ritibus extare argumenta, nemo quantumvis rerum Judaicarum rudis ignorat. Quamvis enim ea gens ſit minime φιλόξενος, ſuiſque vulgo parietibus adſcriptum habeat

illud ad hoſpites paræneticum: ביום ראשון ארח ביום שני טורח ביום שלישי ברח או סרח hoc eſt: *Die primo hoſpes, die ſecundo onus, die tertio transfuga aut fœtens.* Laudabilis tamen videtur conſuetudo, qua fit, vt ſi peregrinetur quiſpiam, literarum genus decernant, quod קבוץ vocant. Ubi vero hoc teſtimonio ac teſſera inſtructus ad vrbem aut conventum ſeu ſynagogam accedit, literas exhibet archiſynagogo, hoc eſt, ראש הקהל aut adminiſtratoribus: ac continuo capitatim aliquid indicitur, ſtipemque ſuam omnes conferunt ad ſublevandam peregrinantis neceſſitatem, ſi re aliqua indigeat; aut ſi res exigat, & negotiorum pondus, conſilio operaque præſto ſunt.

Ex

Ex his liquido apparet, apud Gentes quæ ſaltem aliquo numero cenſentur, hujus commercii vſum & literarum ſocietatem viguiſſe, vt hoſpitii & fraternitatis jura tuerentur; Chriſtianos vero omni præconio majorem laudem mereri, quibus ſolenne fuit ſummo ſtudio & alacritate fratribus ſuis ac peregrinis adeſſe. Invaluit enim Canonicarum vſus ab ipſis religionis noſtræ primordiis. Quid enim ſæpius a ſanctoPaulo inculcatur, quam de fratribus bene mereri, quam de collectis eos admonere? Per Collectas enim nihil aliud proculdubio innuitur, præter capitationem, quæ apud Judæos, vt modo diximus, in vſu habetur, & quam in cœtibus

Chriſtianis fieri quoque præcipit. Cum enim ad Hebræos ſcribit, Heb. 13. 1. diligenter eos monet vt fraternam dilectionem foveant, vt hoſpitalitatis ſint ſemper memores; eoſque adhortatur eorum exemplo qui Angelos hoſpitio exceperunt. Addit præterea, meminerint vinctorum, tanquam ſint & ipſi ſimul vincti; & laborantium, tanquam & ipſi in corpore cum ſint morantes. Et quod ad rem magnopere conducit, eodem cap. v. 16. *Beneficentiæ*, inquit, *& communionis nolite oblivíſci: talibus enim hoſtiis placatur Deus.* τῆς γὰρ εὐποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε, τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός. Hortatur nimirum vt beneficentiam exerceant, additque aliud,

& quidem magni momenti, vt nimirum in communione chriſtiana & ſocietate ſedulo perſeverent; eoque propoſito præmio, quod ejuſmodi beneficiis & communionis vinculo, Deus propitius redditur. Illa eſt ſcilicet hoſpitalitatis conteſſeratio, & appellatio fraternitatis, de quibus ſupra egimus: illa orbis concordia, Formatarum ope, de qua loquentem adduximus Optatum Milevitanum.

x. Egregium illum amorem laudare videtur in Gaio, Joannes Evangeliſta epiſt. 3. *Cariſſime,* inquit, *fideliter facis quidquid operaris in fratres & eos peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt caritati tuæ in conſpectu Eccleſiæ, quos bene faciens deduces digne Deo.* (*Pro no-*

mine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, vt cooperatores ſimus veritatis. Ab ethnicis vero, vt innuit S. Joannes, ſumma erat religio quidquam accipere, & infami conſortio ſe contaminare. Hinc libera vox & chriſtiana Liberii Pontificis Romani apud Theodoritum lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 16. qui ab impio eleemoſynam accipere noluit. Miſſus erat a Conſtantio Imperatore eunuchus Euſebius, qui ab eodem Imperatore viaticum exilii erogaret, ſeu ἐφόδιον. Reſpondit ſtatim Liberius ejus donum reſpuens tanquam ſibi prohibitum: ἄπελθε, πρῶτον γένου χριστιανός. *abi, fac te prius Chriſtianum.* De hac re etiam ſanctus

Athanaſius ad Solitarios.

XI. Sed quoniam hoc in loco communionis meminit Apoſtolus, non inutile erit de eadem tantiſper diſſerere. Literæ Canonicæ ideo concedebantur, vt peregrinantes ſublevarentur harum beneficio, quod communionis Chriſtianæ, ſive etiam communicationis nomine inſigniebatur. Atque in eo ſita erat illa communio, vt religionis ſocietate fruerentur, & myſteriorum conſortio, modo adeſſent ejuſmodi literæ, ex antiquorum Canonum decretis conſcriptæ. Qui autem hac ope deſtitutus, ad iter ſe accingebat, a fratribus quidem humaniter excipiebatur, ei tamen communionis tantum peregrinæ jure frui lice-

bat, id eſt, quod ad naturæ jura pertinet, ad omne genus ſolatii, ad ea quæ ad vitam erant neceſſaria, benigne & comiter agebatur cum peregrinis; in iis vero quæ ſacramentorum erant, ea ſeveritate procedebant, vt absque literis penitus ſacrorum communio denegaretur. Erant enim tunc quaſi ſuſpecti; nec ſatis apparebat, an vere eſſent Chriſtiani; aut dubium erat ne criminis aut ſceleris cujuſpiam rei eſſent.

XII. Nihil evidentius in hanc rem afferri poteſt, quam id quod habet Syneſius epiſt. 65. pag. 38. edit. Turnebi, de Alexandro Epiſcopo. ſcripta eſt hæc epiſtola ad Theotimum, (quamvis ad Theophilum perperam affirment non-

nulli) ſcripta, inquam, in cauſa Alexandri Epiſcopi Baſianopolitani in Bithynia. Scribit igitur Syneſius: *Noſti igitur, venerande Pater, quo modo me geſſi, in Eccleſiam eum non admiſi, neque ſacræ menſæ participem feci; domi tamen eundem honorem largitus ſum, qui inſontibus impendi ſolet.* οἶσθα οὖν ὅπως ἐποίησα, πάτερ σεβασμιώτατε· ἐκκλησίᾳ μὲν οὐκ ἐδεξάμην αὐτὸν, οὐδὲ τραπέζης ἱερᾶς ἐκοινώνησα, οἴκοι δὲ ἴσα καὶ τοῖς ἀναιτίοις ἐτίμησα.

In quibus facile eſt obſervare, Syneſium ad peregrinam tantum communionem admiſiſſe Alexandrum Baſianopolitanum. Ac licet ab amicis commendationem continerent literæ, privatæ tantum dicebantur; non autem communicatoriæ, niſi ex

Canonum regulis conſcriptæ, & diligenter examinatæ eſſent. Hinc S. Auguſtinus epiſt. 162. *Unde factum eſt*, inquit, *vt etiam ad nonnullos Donatiſtarum primarios ſcriberemus, non communicatorias literas quas jam olim propter ſuam perverſitatem ab vnitate Catholica quæ toto orbe diffuſa eſt, non accipiunt, ſed privatas tantum.* Prohibere merito videtur hic locus, ne commercium vllum cum Donatiſtis interveniat, vtpote hæreticis: atque ideo prohibetur, quoniam literarum ope, de quibus loquimur, communicatio illa intercedebat, nec Catholici ejuſmodi literas ſcribere poterant, aut ab iis accipere, ne eorum ſocietate inquinarentur. Adjungendus vero hic locus cum

alio ejuſdem Auguſtini, quem adduximus ex epiſt. 163. vt rei veritas manifeſtius declaretur. Neque omittenda eſt Irenica, quæ a Sozomeno refertur lib. 3. cap. vlt. in qua communicationis mentio fit non vulgaris. Nam Urſacius & Valens S. Athanaſii & veritatis hoſtes infenſiſſimi, pacem cum eo inire videntur, & communionem Eccleſiaſticam poſtulare. ſic autem loquuntur: *κυρίῳ ἀδελφῷ ἀθανασίῳ ἐπισκόπῳ, οὐρσάκιος καὶ οὐάλης ἐπίσκοποι. ἀφορμὴν εὑρόντες διὰ τοῦ ἀδελφοῦ, καὶ συμπρεσβυτέρου ἡμῶν μουσαίου, ἐρχομένου πρὸς τὴν σὴν ἀγάπην, ἀδελφὲ ἀγαπητὲ, διὰ τούτου σε πάνυ προσαγορεύομεν ἀπὸ τῆς ἀκυλίας, καὶ εὐχόμεθά σε ὑγιαίνοντα, τὰ γράμματα τὰ ἡμέτερα ἀναγνῶναι. δώσεις γὰρ ἡμῖν θαρ-*

ρεῖν, ἐὰν καὶ σὺ ἐν τῷ γράφειν ἀποδῷς ἡμῖν τὴν ἀμοιβήν· γίνωσκε γὰρ ἡμᾶς εἰρήνην ἔχειν μετά σου, καὶ κοινωνίαν ἐκκλησιαστικήν. hoc eſt : *Domino fratri Athanaſio Epiſcopo, Vrſacius & Valens Epiſcopi. Occaſionem nacti per fratrem noſtrum & compreſbyterum Muſæum proficiſcentem ad charitatem tuam, frater cariſſime, te ab Aquileia multum ſalutamus, & vt in proſpera valetudine, literas noſtras legas, precamur. Fiduciam noſtram augebis, ſi & tu reſcribendo parem referas gratiam. Agnoſce enim nos tecum paciſci, & communione frui Eccleſiaſtica.*

XIII. Communicatorias ejuſmodi literas datas Ruffino a Siricio Pontifice tam certum eſt, apud nonnullos, quam culpa non vacare Pontificem: conce-

debantur quippe hæ literæ, vt monuimus, Catholicis tantum, atque a Catholicis. Ruffinus vero hæreticus iis vtebatur, vt verſionem hæreticam libri Origenis περὶ ἀρχῶν intruderet. Abutebatur nimia facilitate Siricii Ruffinus, quod in adornanda illa verſione bilem movit aliquantiſper S. Hieronymo, vt videre eſt Apolog. 1. adverſus Ruffinum ad Pammachium. Commendatitias fuiſſe has literas facile crediderim, cum enim Aquileiam patriam ſuam peteret Ruffinus, hac teſſera, hoc ſymbolo ſe munierat. Non parum laborat in eo lapſu excuſando Baronius ad an. 397. in quo contra leges Eccleſiaſticas & priſcos Canones, Siricius communio-

nem cum hæreticis non vitavit, iiſque, quod turpius, literas tanquam orthodoxis conſignavit. Majori fervore ac zelo vſus eſt laudatus ante a me Liberius, qui Macedonianorum epiſtolas ideo recipere noluit, quod a partibus Arianorum ſtarent, nec poſſent ab Eccleſia admitti, vt qui fidem Nicænam violaſſent. Cum enim oblatæ eſſent Liberio, vt refert Socrates lib. 4. c. 11. ὁ δὲ αὐτὰς προσδέξασθαι οὐδαμῶς ἐβούλετο· τῆς γὰρ Ἀρειανῶν μοίρας εἶναι, καὶ μὴ δύνασθαι δεχθῆναι ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας ἔλεγεν, ὡς τὴν ἐν νικαίᾳ πίστιν ἀθετήσαντας. Quod ſane κατόρθωμα viro Chriſtiano & Pontifice dignum, Eccleſiaſticiſque decretis penitus conforme, nemo ſatis laudare poterit.

XIV. Ad Apoſtolum autem revertamur a quò tantiſper digreſſi ſumus. Is Corinthios increpare videtur, quaſi commendatitiis ſibi vtendum eſſet inter ipſos. ſic enim 2. Corinth. cap. 3. v. 1. Ἀρχώμεθα πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνειν; Εἰ μὴ χρῄζομεν ὥς τινες συστατικῶν ἐπιστολῶν πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐξ ὑμῶν συστατικῶν; Quod eſt: *Incipimus iterum noſmetipſos commendare? aut numquid egemus ſicut quidam epiſtolis commendatitiis ad vos aut ex vobis?* & primæ ad Corinthios c. 16. *Per vnam Sabbati, vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero, tunc Collectæ fiant; cum autem præſens fuero, quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem.* Quod

ſatis dilucide probat, quod modo dicebamus, a S. Apoſtolo mentionem fieri ſæpiſſime illius vſus & communionis, quæ Literarum Canonicarum commercio fovebatur. In hoc vero loco 2. ad Corinth. commendatitiæ vocantur συστατικαὶ ἐπιστολαὶ; & Canone Apoſtolic. 13. συστατικὰ γράμματα. & adhuc Can. 33. μηδένα τῶν ξένων ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων ἄνευ συστατικῶν προσδέχεσθαι: hoc eſt: *Peregrinantium Epiſcoporum, aut Preſbyterorum, aut Diaconorum nullum hoſpitio excipere licet ſine commendatitiis.* & in Concilio Agathenſi can. 52. *Preſbytero aut Diacono vel Clerico ſine literis ſui Antiſtitis ambulanti communionem nemo impendat.* In quo canone per literas, Formatæ no-

tantur, non ſecus ac in Can. Apoſtolico per ſyſtaticas, literæ commendatitiæ, quamvis non addita fuerit vox γραμμάτων, vt in can. 12.

xv. Illud autem ſummopere perpendendum eſt, Formatas Latinorum Græcorum Canonicis reſpondere, eaſque non eandem ob cauſam apud vtroſque nuncupatas eſſe. Ideo enim canonicæ dicuntur, quod juxta canones Eccleſiaſticos conſcribantur. Unde Zonaras in can. 22. Concilii Laodiceni: τὰς ἐπιστολὰς τὰς εἰρηνικάς τε καὶ συστατικὰς, κανονικὰ γράμματα ἐνταῦθα ὠνόμασεν, ὡς κατὰ κανόνα γινόμενα. id eſt: *Epiſtolas quidem pacificas & commendatitias, Canonicas Literas hic vocarunt, quoniam juxta canones conſcriptæ*

ſunt. Formatæ vero ab eo nomen ſortiuntur, quod forma quadam conceptiſque verbis ſcriberentur, ne corrumperentur ab hæreticis, ne fraus irreperet, aut a fratribus falſa pro veris ſupponerentur. Neque me fugit eruditos viros Hannibalem Fabrotium & Jacobum Sirmondum ideo ſic dictas exiſtimaſſe, quod forma ſigilli Epiſcopalis munitæ erant. Pace tantorum nominum dixerim, id ſtare non poſſe mihi videtur. Quod vt clarius procedat, obſervandum eſt primum, Epiſcoporum munus fuiſſe aliquando ejuſmodi literas dare. Illud ex Chriſtiano Lupo Iprenſi liquet, & ex can. 8. Concilii Antiocheni, Quod quam parum firmum ſit, in ſequen-

quentibus paginis docebimus. Sic Aurelianenſe Concilium prohibet Abbatibus, Martyrariis, Reclusis & Preſbyteris epiſtolia dare. & Turonenſe ſecundum moderatius: *Nullus Clericorum vel laicorum, præter Epiſcopum epiſtolia facere præſumat.* Quamquam per epiſtolia hoc in loco, ſynodicas indicare mihi videtur Concilium. Id ſatis luculenter peti poterit e ſynodica Concilii Sardic. ſed & communicatoriæ etiam literæ, per epiſtolia ſignificantur. Decernit vero, aut potius vetat Leo Magnus epiſt. 88. ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos, ne Preſbyteri, atque etiam Chorepiſcopi Formatas epiſtolas mittere audeant. Quod quam verum ſit Leonis Magni decre-

tum, palam faciam, vbi canonem integrum octavum Concilii Antiocheni repræſentavero: μὴ δὲ πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ταῖς χώραις κανονικὰς ἐπιστολὰς διδόναι· ἢ πρὸς μόνους τοὺς γείτονας ἐπισκόπους ἐπιστολὰς ἐκπέμπειν· τοὺς δὲ ἀνεπιλήπτους χωρεπισκόπους διδόναι εἰρηνικάς. *Preſbyteros rurales dare epiſtolas non* convenit; *aut ad ſolos vicinos Epiſcopos mittent. Chorepiſcopi autem qui irreprehenſibiles fuerint, dare pacificas poterunt.* Nonne frontibus adverſis pugnat Leo Magnus cum can. Antiocheno? Certum eſt Epiſcoporum id juris fuiſſe: at interveniſſe quædam etiam temporum intervalla conſtat, quibus Preſbyteris ea cura, ſive jus illud deferebatur.

XVI. Quod poſtea obſervan-

dum venit, attentius conſiderandum, Epiſcopos nimirum canoni ſubjectos, ideoque impune vagari, ire ad comitatum, & aulam Principum ſectari, ſine Literis Canonicis nunquam potuiſſe, certo certius eſt. Canonem 52. Concilii Carthaginenſis alio loco dabimus, ſolum Antiochenum 11. adducemus. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ ὅλως τοῦ κανόνος, ἄνευ γνώμης καὶ γραμμάτων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, καὶ μάλιστα τοῦ κατὰ τὴν μητρόπολιν, ὁρμήσειεν πρὸς βασιλέα ἀπελθεῖν, τοῦτον ἀποκηρύττεσθαι καὶ ἀπόβλητον γίνεσθαι· οὐ μόνον τῆς κοινωνίας, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀξίας, ἧς μετέχων τυγχάνει, ὡς παρενοχλεῖν τολμῶντα ταῖς τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως ἡμῶν ἀκοαῖς παρὰ τὸν θεσμὸν τῆς ἐκκλησίας· Εἰ δὲ ἀναγκαία καλοίη χρεία πρὸς βασι-

λέα ὁρμᾷν, τοῦτο πράττειν μετὰ σκέ-
ψεως καὶ γνώμης τοῦ κατὰ τὴν μητρόπολιν
τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπου, ἢ τῶν ἐν αὐτῇ,
τοῖς τε τούτων γράμμασιν ἐφοδιάζεσθαι.
quod eſt : *Si quis Epiſcopas, aut Preſbyter, aut alius Clericus, ſine licentia & literis Epiſcoporum provinciæ, ac potiſſimum Metropolitani, ad Regem proficiſci ſtatuerit; hunc abdicare & rejicere* oportet, *non modo a communione, ſed etiam a dignitate quam obtinet, tanquam audentem piiſſimi Regis aures turbare contra leges Eccleſiaſticas; ſi vero neceſſitas vrgeat proficiſcendi ad Regem, id facere* debet, *cum licentia & conſilio Metropolitani provinciæ, aut Epiſcoporum ibi tunc commorantium, eorumque literis muniri.* Quoniam igitur Epiſcopi a Metropolitanis, & ipſi etiam Metropo-

litani a Patriarchis literas Formatas poſtulare cogebantur: quis jure dicere poterit, a forma ſigilli Epiſcopalis ſic dictas fuiſſe? Addamus etiam in veteri Gloſſario formam & Formatam reddi per τύπον. τύπον vero pro epiſtola vſurpatum fuiſſe, vt teſtatur Zonaras ad can. 38. Concilii Conſtantinopolitani in Trullo, his verbis: τιμῶσιν αὐτὰς, εἰς ἐπισκοπὰς ἢ καὶ μητροπόλεις τυχὸν, διὰ προσταγμάτων ἐγγράφων, ἃ καὶ δημοσίους τύπους ὠνόμασαν. id eſt: *Ipſas honorant, vrbes intelligit, in Epiſcopatus atque etiam in Metropoles erigentes, per diplomata ſcripta, quæ & literas publicas nominarunt.* Non igitur a ſigillo illo Epiſcoporum repetendum videtur vocis Formatæ etymum,

ſed a forma certiſque verbis quibus conficiebatur. Quid inde mali ſequetur, ſi formam illam notam quandam fuiſſe dicamus, qualem S. Paulus 2. ad Theſſalon. 2. innuit de nota ſuarum literarum? *Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum, in omni epiſtola, ſic ſcribo: Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum omnibus vobis, Amen.* Sed revera nihil aliud eſſe poteſt, Formatam ſcribere, literas formare, quam διαχαράττειν ἐπιστολὴν, vt apud Euſebium videre eſt lib. 7. cap. 30. vbi agit de Patribus Concilii Antiocheni epiſtolam ſcribentibus ad Dionyſium Romanum, & Maximum Alexandrinum: διαχαράξαντες ἐπιστολὴν εἰς πρόσωπον τοῦ τε ῥωμαίων ἐπισκόπου Διο-

νυσίου, καὶ μαξίμου τοῦ κατ' ἀλεξάνδρειαν, ἐπὶ πάσας διαπέμπονται τὰς ἐπαρχίας, τὴν αὐτῶν σπουδὴν τοῖς πᾶσι φανερὰν καθιστάντες, καὶ τοῦ παύλου τὴν διάστροφον ἑτεροδοξίαν. *Epiſtolam formantes coram Epiſcopo Romano Dionyſio, & Maximo Alexandrino, in omnes provincias mittunt, ſtudium ſuum omnibus declarantes, & Pauli Samoſateni hæreticam pravitatem.* Joannes Hieroſolymitanus Patriarcha in vita Damaſceni: καὶ κελεύει ὡς ἐκ τοῦ ἰωάννου πρὸς αὐτὸν δὴ τὸν δυσώνυμον βασιλέα, ἐξχαράξαι γραμμάτιον τοιόνδε τοῦ σκόπου ἐχόμενον, χαῖρε ὦ βασιλεῦ. id eſt: *Jubet quaſi ab ipſo Joanne ad infamem Regem epiſtolam exarare, in hunc ſenſum, ſalve o rex.* & paulo poſt, γράμμα ἕτερον διαχαράττει. Zonaras etiam ad can. Trullanum 39. διὰ προσαγ-

μάτων ἐγγράφων, ἃ καὶ δημοσίους τύπους ὠνόμασαν. juſſu & ſcripto, quod publicas literas vocaverunt. Quæ ipſi Zonaræ alibi ſunt τύποι πραγματικοὶ, & βασιλεῖα γράμματα. Quæ omnia Formatarum nomine cenſenda ſunt, ſicut & quod abſque dubio eſt, Imperatores ſcilicet, dum honores aut privilegia largiebantur, literas contuliſſe quæ a poſterioribus τύποι πολιτικοὶ καὶ δημόσιοι dictæ ſunt.

XVII. Ingenioſa ſane indagatione aſſerunt nonnulli, per τετυπωμένην epiſtolam in Concilio Carthaginenſi, can. 23. Formatam indicari ſigillo munitam. ὁμοίως ἐπίσκοποι πέραν θαλάσσης μὴ ἀποδημείτωσαν, εἰ μὴ μετὰ ψηφίσματος τῆς πρώτης καθέδρας τοῦ ἰδίου ἑκάστης χώρας ἐπισκόπου· τοῦτ᾽ ἔστιν, ἐξαι-

μὴ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ προεστῶτος κατεξαίρετον λάβῃ τὴν ἥτις λέγεται ἀπολυτικὴ, τετυπωμένην, ἤτοι παράθεσιν. *Epiſcopi pariter trans mare non peregrinentur, niſi ex decreto primæ Cathedræ proprii cujuſque regionis Epiſcopi: id eſt, niſi accepta ab ipſo Primate litera, quæ dimiſſoria dicitur, ſcripto comprehenſa & itineris neceſſitate.* Sed αὐτὴ ἡ μήρινθος, vt aiunt, οὐδὲν ἔσπασε. In hoc quippe canone nihil aliud innuitur, quam litera dimiſſoria, ſcripto efformata, peculiari ſtylo & cautione, itineris occaſionem complectens. Deinde de Epiſcopis agitur, in quorum epiſtolis, formam ſigilli Epiſcopalis contineri non poſſe conſtat, aut ſaltem Primatis vel Metropolitani.

XVIII. In eo ſenſu literas ef-

formare dicit S. Baſilius, epiſt. 57. ἐπιστολὰς τυπῶσαι, ad Meletium, loquens de literis communicatoriis; & epiſt. 59. ad eundem, in qua epiſtolam ad Occidentales, ſi neceſſaria videretur, mittendam monet, cujus hæc verba ſunt: Εἰ οὖν φαίνεται ἀναγκαιόν τι ἔχειν ἡ πρὸς δυτικοὺς ἐπιστολὴ, κατ᾽ ἀξίαν τυπώσας αὐτὴν, διαπέμψαι ἡμῖν, ὥστε ποιῆσαι ὑπογραφῆναι παρὰ τῶν ὁμοψύχων ἐν χάρτῃ ἐντετυπωμένην, ἵνα δυνάμεθα συνάψαι τῷ παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν Δωροθέου τοῦ συμπρεσβυτέρου περικομιζομένῳ. hoc eſt: *Itaque ſi epiſtola ad Occidentales neceſſarium quidpiam continere videtur, vbi eam pro rei dignitate efformaveris, ad nos tranſmittas, vt ab iis qui nobis conſentientes ſunt, ſubſcribi curemus; habeatque commodum ad ſubſcriben-*

dum locum in charta, in qua efformata fuerit, quam adjungere poſſimus ei quæ affertur a fratre noſtro & compreſbytero Dorotheo. Ex hac vero epiſtola & aliis locis ſatis ſuperque probatur, formulam certis verbis conceptam ſignificari, quæ fraudi cuiquam eſſe non poſſet, ac ne promiſcue ad communionem chriſtianam quicunque vagantes admitterentur, qui literas ſeu veras, ſeu falſas circumferrent, ſicque hæretici pro orthodoxis haberentur.

XIX. In eo loco totus eſt Baſilius, vt illud ſerio legenti patebit; nulluſque forſan ex omni antiquitate locus illuſtrior adduci poteſt, qui tam brevi ſpatio de hac re magnificentius lo-

quatur. Illud itaque certo tenendum eſt, quod modo non ſemel diximus, Formatas eſſe dictas a forma conceptiſque verbis quibus conſcribebantur, non autem a ſigillo Epiſcoporum: quod tamen lapſu temporum iis impreſſum fuit aliquando. Quin etiam τύπος ſumitur ſæpe in hac materia, pro re judicata, vt in dialogo Conſtantii & Liberii, in quo Imperator, vt Liberium de ſua ſententia dimoveret, Athanaſiumque condemnare videretur, inter cætera dicebat: Τὰ ἤδη τύπον ἐσχηκότα ἀναλύεσθαι οὐ δυνατόν ἐστι, τῶν γὰρ πλειόνων ἐπισκόπων ἡ ψῆφος ἰσχύειν ὀφείλει, σὺ μόνος εἶ ὁ ἀντιποιούμενος τῆς φιλίας τοῦ ἀνοσίου ἐκείνου. hoc eſt: *Ea de quibus judicatum eſt, reſcindi*

nequeunt, nam plurium Epiſcoporum rata debet eſſe ſententia: tu ſolus amicitiam foves cum illo impio.

XX. De Literis Formatis locutum fuiſſe Suetonium exiſtimant quidam, dum Domit. Cæſ. ſtoliditatem perſtringit cap. 13. *Pari, inquit, arrogantia cum procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit: Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet.* Diſcederem lubens in ſententiam doctiſſimi Cujacii, docentis formalem idem eſſe ac Formatam, niſi per formalem ἐγκύκλιον ſignificari ſciremus & tralatitiam: ſed de hoc in appendice Canonicarum Literarum ad hujus Diſſertationis calcem dicemus. Neſcio an audiendi ſint qui ad Formatas detorquent illa Symmachi lib. 4.

epiſt. 42. *Sed non eſt meum formam ſcribendis literis dare.* Urbanitatis enim cauſa hæc dicta exiſtimo, quaſi diceret: Non is ſum, qui tibi in ſcribendis literis velim quidquam præſcribere.

Quoniam vero de origine & variis nominibus Canonicarum ſatis longam ac perſpicuam orationem inſtituimus, diverſas earumdem ſpecies exponere operæpretium eſſe exiſtimo. Literæ igitur Canonicæ in ſyſtaticas ſeu commendatitias, & apolyticas ſive dimiſſorias dividebantur. Aut enim Clerici in aliam diœceſin migrabant ad quoddam tempus, & tunc ſyſtaticæ dabantur: aut ibi permanſuri perpetuo, tuncque dimiſſoriæ concedebantur. Hæ porro ireni-

cæ aliquando, ſive pacificæ dictæ ſunt. Quod ita explicat Zonaras ad can. 11. Concilii Calchedon. Εἰρηνικαὶ μὲν ἐπιστολαί εἰσιν αἱ λεγόμεναι ἀπολυτικαὶ, οἷαί εἰσιν αἱ διδόμεναι τοῖς ἐπισκόποις παρὰ τῶν μητροπολιτῶν οἷς ὑπόκεινται, καὶ τοῖς μητροπολίταις παρὰ τῶν πατριαρχῶν, ὑφ᾽ ὧν προχειρίζονται· ὅτε διά τινα χρείαν ἀναγκαίαν ἀπιάσι πρὸς βασιλέα, καὶ οἷαί εἰσιν αἱ παρεχόμεναι κληρικοῖς παρὰ τῶν οἰκείων ἐπισκόπων, θέλουσιν εἰς ἑτέραν πόλιν ἀπελθεῖν καὶ καταλεγῆναι τῇ ἐκεῖ ἐκκλησίᾳ· εἰρηνικαὶ δὲ λέγονται ὡς εἰρήνην βραβεύουσαι. hoc eſt: *Pacificæ epiſtolæ ſunt quæ dimiſſoriæ dicuntur, quales ſunt quæ dantur Epiſcopis a Metropolitis ſuis, & Metropolitis a Patriarchis, a quibus creati ſunt: quando propter neceſſitatem quamdam ad Regem proficiſcun-*

tur; quales etiam ſunt quæ conceduntur Clericis a propriis Epiſcopis, ſi poſtulent in aliam vrbem tranſire, & cooptari in illa Eccleſia: irenicæ vero & pacificæ dictæ, quaſi pacem concedentes. Non aliter Harmenopuli Græcus Scholiaſtes in Synopſi can. ſect. 3. tit. 2.

Optime autem Ariſtenus rem explicat, tollitque difficultatem omnem ad can. 11. Concilii Sardicenſis; locum integrum hic adduco: εἰρηνικὴ ἐπιστολή ἐστιν, ἡ διὰ σκανδάλου τινὸς τῷ ἐπικομιζομένῳ ἐγχειριζομένη· συστατικὴ δὲ ἡ τὸ ἀνεπίληπτον τοῦ βίου, καὶ τῆς θρησκείας τοῦ ἐπιφερομένου προσμαρτυροῦσα· οἱ γοῦν δεόμενοι βοηθείας πένητες, μετὰ εἰρηνικῶν ἐπιστολῶν τῶν ἐπισκόπων ὁδεύειν ὀφείλουσιν, ἵν' ἐλεῶνται ὑπὸ τῶν δυναμένων βοηθεῖν αὐτοῖς· συστατικῶν δὲ ἐπιστο-

λαὸν χρείαν οὐκ ἔχουσιν, αὗται γὰρ πρε-σβυτέροις καὶ διακόνοις, καὶ τοῖς λοιποῖς τοῖς ἐν κλήρῳ παρέχονται). hoc eſt: *Pacifica epiſtola eſt, quæ latori abſque vllo ſcandalo datur. Qui igitur pauperes auxilio egent, peregrinari debent cum pacificis literis Epiſcoporum, vt miſericordiam eorum excitent qui auxilium iis ferre poſſunt. Commendatitiarum vero epiſtolarum opus non habent: hæ enim Preſbyteris & Diaconis, aliiſque e Clero conceduntur.* Idem Balſamon diſcrimen notat quam maximum inter commendatitias & dimiſſorias, ad can. 33. Apoſt. Commendatitias enim eorum in fide ὀρθοδοξίαν probant, & altaris cultui deſtinatos; ſed vt ſacra peragant, dimiſſoriis inſtructi eſſe debent. ὃ μὲν γὰρ ἱερωθῆναι ἀξίους διὰ τῶν συστατικῶν

γραφῶν ἐλέγχεται, τὸ δὲ ἐκχωρηθῆναι ἐπὶ ξένης ἱερουργεῖν, οὐκ ἀπὸ τούτων, ἀλλ' ἐκ τῶν ἀπολυτικῶν γραμμάτων παρίσταται. hoc eſt: *Sacris addictos illos eſſe, commendatitiæ literæ probant; ſed vt iis tanquam extraneis ſacra facere concedatur, non ab iis literis, ſed a dimiſſoriis illud repetendum.* Idem quoque explicat Zonaras. Sed & Balſamon, qui modo diſcrepare ſyſtaticas docebat a dimiſſoriis, aut dimiſſorias cum pacificis conjungit, aut ſane idem jus pacificis tribuit, ac dimiſſoriis. Sine his quippe ſacra facere exteris non concedebatur: pacificas tamen exhibendas cenſet ad can. 11. Concilii Calchedonenſis, vbi irenicas ſive pacificas cum dimiſſoriis conjungit, dum ait: σημειῶσαι οὖν, ὅτι οἱ θέλοντες ἱερουρ-

γῆν εἰς ἀλλοτρίας ἐνορίας, ὀφείλουσιν μὴ μόνον συστατικὰς ἐπιστολὰς περικομίζειν, ἀλλὰ καὶ εἰρηνικάς. id eſt: *Notandum eſt, quod qui ſacra peragere velint in aliis regionibus, epiſtolas non ſolum debent habere commendatitias, ſed etiam pacificas.* Quod ſenſum alium, aut potius additionem facit ad can. 11. Calchedon. qui extraneos Clericos & ignotos in alia vrbe ſine literis ſyſtaticis proprii Epiſcopi nullo modo ſacrum facere poſſe decernit. ξένους κληρικοὺς καὶ ἀγνώστους ἐν ἑτέρᾳ πόλει δίχα συστατικῶν γραμμάτων, τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου μηδ' ὅλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν. Illa ſane interpretatio non aliunde peti poteſt, quam ex vſu Eccleſiæ, quæ ſancitis & poſitis legibus, prout neceſſitas exigebat, aut addebat aliquid,

aut demebat, prout ad continendos in officio fideles, neceſſarium arbitrabatur.

xxi. De laicis haud par fuit ratio; irenicæ quippe iis dabantur, vt eorum, ſi pauperes eſſent, neceſſitas ſublevaretur; non autem commendatitiæ, eo quod ejuſmodi literæ reis tantum aut ſuſpectis darentur. quod decernit Synodus Calchedonenſis can. 11. πάντας τοὺς πένητας καὶ δεομένους ἐπικουρίας μετὰ δοκιμασίας, ἐπιστολίοις ἤγουν εἰρηνικοῖς ἐκκλησιαστικοῖς μόνοις ὁδεύειν ὡρίσαμεν, καὶ μὴ συστατικοῖς, διὰ τὸ τὰς συστατικὰς ἐπιστολὰς προσήκειν τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει μόνοις παρέχεσθαι προσώποις. hoc eſt: *Pauperes omnes & qui auxilio indigent, cum probatione, & literis pacificis Eccleſiaſticis ſolis peregrinari decrevi-*

mus , non autem cum commendatitiis ; quoniam concedi tantum debent commendatitiæ iis ſolum perſonis , quæ in ſuſpicionem alicujus criminis venerint. Cavendum hoc in loco ne ſpecies literarum perinde de Clericis , atque de laicis accipiantur : alioquin vix intelligendus videretur canon , qui , poſito illo diſcrimine , facilis eſt. Quid ſibi velit Baronius ad an. 142. canonem citans ejuſdem Concilii in hunc ſenſum , alii viderint. Theodorus quidem Balſamon quibuſdam in locis dimiſſorias cum pacificis confundit , quod & Zonaras ante citatus , & alii ſæpe. Quod ita accipiendum : ſi Clericis pacificæ datæ intelliguntur, eædem ſunt ac dimiſſoriæ ; ſed aliæ prorſus ſunt

datæ laicis, vt hoſpitio excipe-rentur: vnde optime hic canon congruit cum aliis, & interpre-tum explicationibus.

XXII. Inter literas pacificas cenſeri debent etiam literæ, de quibus Tertullianus lib. adverſ. Praxean cap. 1. *Coegit & literas pacis revocare jam emiſſas.* Et quod antiquitatem rerum Eccleſiaſti-carum magis adhuc ſapit, in li-terarum illarum numero haben-tur libelli, quos in carcere con-ſtituti Martyres, ex vſu Eccleſiæ fidelibus concedebant. Cum e-nim ſæviente Tyrannorum rabie, pœnitendi tempus haud facile adimpleri poſſet, & propter dif-ficillima Eccleſiæ tempora, ea ſeveritas obſervari nequiret; cum etiam præ doloris acerbita-

te e criminibus anteactæ vitæ ſuſcepta, periculum immineret: ſibi indulgendum putabant veteres; atque ideo a Martyribus deſignatis literas poſtulabant, quarum beneficio pax eis daretur, ſive cum Eccleſia Dei reconciliarentur, tanquam peracta legitima pœnitentia. Quod adeo certum eſt, vt in eo demonſtrando tempus terendum non exiſtimem. Tertullianum vnum, ſed teſtem locupletiſſimum adduco Protreptrico ad Martyras. *Quam pacem*, inquit, *in Eccleſia non habentes, a Martyribus in carcere exorare conſueverunt.* Viguit ſane is vſus diſciplinæ, quamdiu amor recti ſtetit: vbi enim corruptela aut abuſus gliſcere viſus eſt, eo res deductas legimus, vt

B. Martyr Cyprianus indulgentia illa abuti graviter ac moleſte tulerit, hortatuſque fuerit Martyres in carcere conſtitutos, ne pœnitentium poſtulatis temere indulgerent, ſicque diſciplinæ majeſtas enervaretur & caderet. Is enim epiſt. 9. ad Clerum, de Preſbyteris qui facillime pacem lapſis dederant, conqueritur, quod minus ſevere actum. & epiſt. 10. ad Martyres: *Cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam lapſis pacem dari poſtulatis.* Et rurſus: *Et quoniam audio, fortiſsimi & cariſsimi fratres, impudentia vos quorumdam premi, & verecundiam veſtram vim pati: oro vos, quibus poſſum precibus, vt Evangelii memores, & conſiderantes quæ & qua-*

lia in præteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quam ſolliciti in omnibus fuerint; vos quoque ſollicite & caute petentium deſideria ponderetis, vtpote amici Domini, & cum illo poſtmodum judicaturi, inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum: ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne ſi quid abrupte & indigne, vel a vobis promiſſum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque bis Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat. Et epiſt. 14. ad Clerum Romanum: *Item cum comperiſſem eos qui ſacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent, vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam polluiſſent, exambire ad Martyres paßim, Confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione cor-*

rumpere, vt ſine vllo diſcrimine atque examine ſingulorum, darentur quotidie libellorum millia, contra Evangelii legem; literas feci, quibus Martyres & Confeſſores conſilio meo, quantum poſſem, ad dominica præcepta revocarem. Per nefandos libellos, libellaticorum ſocordiam notat, qui graviſſimi delicti conſcii, in idololatriam prolapſos eſſe ſe non videri volebant, quamvis ſummum & grande nefas perpetraſſent. Addam adhuc locum illuſtrem ex eodem Cypriano lib. de lapſis, qui ſane omittendus non videtur. *Contra Evangelii vigorem, contra Dei ac Domini legem, temeritate quorumdam, laxatur incautis communicatio, irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipien-*

tibus profutura. Ceſſo & abſtineo a recitatione verborum Cypriani, quibus grandes impleremus paginas, ſi quæ in hanc rem dixit, omnia adduceremus. Ad literas noſtras redeamus.

XXIII. Quæ ſint commendatitiæ, explicat Zonaras in loco citato, & ad can. 13. Apoſt. συστατικαὶ δὲ ἐπιστολαὶ λέγονται αἱ ἐγχειριζόμεναι κληρικοῖς ἢ λαϊκοῖς, ἀφωρισμένοις, ἢ ἀγνώστοις ἐν ἑτέρᾳ πόλει ἀπιοῦσι καὶ συνιστῶσαι τούτους ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ ἐπισκόπῳ τοὺς ἄνδρας ὡς λυθέντας τῶν ἐπιτιμίων, ἢ πιστοὺς ὄντας. hoc eſt: *Commendatitiæ literæ dicuntur, quæ Clericis dantur, aut laicis excommunicatis, aut ignotis abeuntibus in aliam vrbem, & commendantes eos illius ciuitatis Epiſcopo, quaſi a pœnis ſoluti eſſent, aut veræ*

fidei ſectatores. Græcus Scholiaſtes Harmenopuli in ſynopſi canonum ſect. 2. tit. 3. & ſect. 3. tit. 1. idem iiſdem ferme verbis tradit: συστατικαὶ ἐπιστολαί εἰσιν αἱ διδόμεναι τοῖς ὑπὸ ἐπιτίμιον, εἰς ἀθώωσιν, καὶ ἑτέρῳ αὐτοὺς ἐπισκόπῳ συνιστᾶσαι πρὸς κοινωνίαν. id eſt: *Sunt epiſtolæ commendatitiæ, quæ dantur pœnis quibuſdam ſubjectis, ad eorum purgationem declarandam, & quæ alteri Epiſcopo eos commendant, vt ab eo in communionem admittantur.* Matthæus Monachus, ſive Matthæus Blaſtares in ſyntagmate cap. 9. καὶ συστατικαὶ μὲν εἰσὶν αἱ κληρικοῖς διδόμεναι, παρὰ τῶν αὐτοὺς χειροτονησάντων ἐπισκόπων, πρὸς ἑτέρους μεθισταμένοις, αἳ συνιστῶσαι ἢ δηλοποιοῦσαι, ἢ τὸν περὶ τὴν ἱερωσύνην βαθμὸν τούτων, ἢ ὡς καὶ τὰ τῆς ὑγιοῦς πρεσβεύουσι πίστεως, ἢ κα-

τηγορίας κατ᾽ αὐτῶν κινηθείσης, ἢ καὶ συκοφαντίας ἐπὶ τινα ἄλλως ἀπελεγχθείσης, εἰρῆσθαι δὲ ἀνεπίληπτον τοῖς ἐπιφερομένοις προσμαρτυρῆσαι, ὡς ἀθῶοι πεφήνασι. δίδονται δὲ καὶ τοῖς λαϊκοῖς ὑποβληθεῖσιν ἀφορισμῷ, καὶ πρὸς ἀλλοδαπὴν ἀπάρασι τούτους δεῆσαν συνιστῶσαι τῷ ταύτης ἐπισκόπῳ, ὡς τοῦ δεσμοῦ τῶν ἐπιτιμίων ἤδη λέλυνται. hoc eſt: *Commendatitiæ ſunt quæ Clericis dantur, tranſeuntibus ab Epiſcopo qui eos ordinavit, ad alium, & commendantes aut declarantes, aut ordinis gradum quem adepti ſunt, aut quod rectam fidem ſectantur, aut commota accuſatione in ipſos, aut calumnia aliquantiſper depulſa, irreprehenſibiles eos docentes qui eas deferunt ad hoſpites, quæque teſtantur quod inſontes ſint. Dantur quoque laicis a communione ſeparatis, ad ex-*

teros pergentibus, quibus Epiſcopo commendantur, teſtanturque a pœnarum vinculis ſolutos eſſe. Theodorus Balſamo in can. 12. & 13. Apoſtol. eundem ſermonem vſurpat, & Zonaras ibi, ſicut ſcripſimus, additque latius ſe dixiſſe ad can. 11. quartæ Synodi, quæ eſt Calchedonenſis, ἐπὶ τούτου πλατύτερον εἴρηται ἐν τῷ ἑνδεκάτῳ κανόνι τῆς τετάρτης συνόδου. Pariter quoque commentatur Alexius Ariſtenus in Præf. can. Apoſt. De diviſione itaque Canonicarum ſatis conſtat, ex recitatis tum canonibus, tum interpretationibus. Nunc quam ob cauſam darentur, explicandum eſt, vbi prius dubium ſuſtulerimus, quod ex Concilio Nicæno oriri poteſt. Cum enim quæſtionem

moviſſet Atticus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, de Literis Canonicis, & formula quædam præſcripta eſſet: in nullo tamen canonum Nicænorum formula illa reperitur. Alphonſus Piſanus, Bellarminus, Turrianus, Franciſcus Bernardinus Ferrarius, & alii, nam ſe invicem ſequuntur, vt vara vibiam, plures eſſe putant quam viginti canones illius Concilii: & neſcio quem nobis codicem Arabicum obtrudunt nullius pretii & auctoritatis, aiuntque primum a Tramesino quodam Veneto, ex Oriente in Europam advectum. In eo autem octoginta & amplius canones continentur. Neque hic ſtant, fabulam enim & gerras meras effutiunt, conje-

ctando Arianos canones ſibi adverſantes combuſſiſſe, & fato quodam reſervatum fuiſſe illud exemplar, & poſteritati conſecratum. Sed quis ejuſmodi divinationibus & conjecturis credat? quis iſtud revelavit? ſitne veriſimile in Ecclesia Romana, quæ caput eſt omnium, canones illos non remanſiſſe, & repertos eſſe in extremis Orientis partibus? Nemo fere eſt in Gallia noſtra, (id præfiſcine dixerim, & abſque vllo κενοδοξίας ſenſu) qui plus temporis inſumpſerit in evolvendis Arabum libris, iis præſertim qui ad antiquitatem Eccleſiaſticam ſpectant; nemo qui forſan plus ejuſmodi ſtudiis tribuat: nunquam tamen adduci potui, vt talibus codicibus

bus conſenſum vllum præberem, qui nobis etiam a ſuſpicione haud alienis hominibus offeruntur. Verſionem novam illorum canonum non moror, quæ Pariſiis prodiit olim ſtudio Abrahami Ecchellenſis. Quod enim judicium de verſione ferendum eſt, ſi de codice non conſtat? Si res auctorum teſtimonio diſcutienda eſt, Gelaſius Cyzicenus lib. 2. Act. Concil. Nic. ait: ἐξέθεντο δὲ καὶ ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας εἴκοσιν, ἐν αὐτῇ τῇ ἐν Νικαίᾳ. *viginti canones Eccleſiaſticos præſcripſerunt in hoc Concilio Nicæno.* Viginti itaque tantum canones conſcriptos eſſe conſtat. Idem quoque Theodoritus lib. 1. cap. 8. αὖθις δὲ συνελθόντες εἰς τὸ συνέδριον περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πολι-

τείας νόμους ἔγραψαν εἴκοσιν. *In Concilium iterum reverſi*, inquit, *de diſciplina Eccleſiaſtica canones viginti conſcripſerunt.* Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi ad Hincmarum Laudunenſem de hiſce canonibus viginti, opus nondum editum laudat vir eruditus Chriſtophorus Juſtellus, in doctiſſimis illis obſervationibus ad canones antiquos, quibus rem literariam ſummopere ornavit, quæque a quibuſdam annis auctiores ac locupletiores prodierunt cura & induſtria clariſſimi ac doctiſſimi ejus filii. Et quod apud æquos rerum æſtimatores magni momenti & ponderis argumentum eſt; Qui nobis canones antiquos in Pandectis exhibuit, verſionem Arabicam

priorum Conciliorum bona fide repræſentavit e Bibliotheca Bodleiana; nulla tamen facta mentione codicis illius falſi & ſuppoſititii. Is autem eſt doctiſſimus, & in omni antiquitate exercitatiſſimus Guillelmus Beveregius, qui inter tot eruditos Anglos rerum Eccleſiaſticarum pomœriis promovendis inſudantes, poſtremum ſane locum non occupat. Quis credat virum ſagaciſſimum occaſionem hanc codicem illum proponendi, facile ſibi e manibus eripi paſſum eſſe, ſi verum & authenticum exiſtimaſſet? Sed repudiato illo codice Arabico, tanquam ſpurio & malæ fidei, illiuſque verſionibus rejectis, in Concilio ipſo ſcrutandum eſt, & ex hi-

ſtoria, quid de Literis Canonicis decretum ſit. Atque vt quod ſentio, libere profitear & ingenue, vt Chriſtianum decet, de formula parum curaſſe videntur Nicæni Patres, quæ adhibenda erat iis literis; cum enim praxin & vſum cujuſque Eccleſiæ ſpectaret, in poteſtate cujuſlibet Epiſcopi reliquerunt, formulam ſervare quæ in ſua diœceſi vigebat, modo ad canonum normam efformaretur; illud autem in canones relatum non fuit, quoniam ad fidem ſpectare non videbatur. Majoris momenti negotia de Arianis, Paulianiſtis, Paſchate, & aliis vrgebant, & modo ſarta tecta eſſet Eccleſiæ cauſa, canonum numerum augere noluerunt, ne res in im-

menſum excreſceret. Majus quiddam afferam ; canonibus 15. & 16. ſatis eſſe ſtabilitam harum literarum neceſſitatem cuivis legenti conſtabit. Quid enim aliud innuere videtur canon 15. prohibens tránſgredi Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos de civitate in civitatem ? ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον. & canon decimus ſextus : ὅσοι ῥιψοκινδύνως μήτε τὸν φόβον τοῦ θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, μήτε τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες, ἀναχωρήσουσι τῆς ἐκκλησίας, πρεσβύτεροι ἢ διάκονοι, ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι. οὗτοι οὐδαμῶς δεκτοὶ ὀφείλουσιν εἶναι ἐν ἑτέρᾳ ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ πᾶσαν ἀνάγκην ἐπάγεσθαι χρὴ, ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας, ἢ ἐπιμένοντ-

τας ἀκοινωνήτους εἶναι προσήκει. *Qui temere*, ait canon, *& Dei timorem præ oculis non habentes, neque canones Eccleſiaſticos ſcientes Preſbyteri, aut Diaconi, aut omnino qui in canone recenſentur, a ſua Eccleſia recedunt: ii nullo modò in alia Eccleſia admitti debent, ſed omni neceſſitate adigendi vt in ſuas parochias revertantur; ſi remaneant, a communione removentor.*

XXIV. Sublata igitur dubitandi occaſione, quæ ex Arabico codice Nicænorum canonum oriri poterat, legis illius Eccleſiaſticæ rationem inquirere neceſſe eſt. Tanta vero primis Eccleſiæ temporibus peregrinandi cupiditas Chriſtianorum animos occupaverat, vt promiſcue ac ſine vllo delectu Epiſcopi, Pre-

ſbyteri, laïci cujuſlibet ordinis & ætatis domos deſererent, & ad iter ſe ſe accingerent. Quod non mediocriter Eccleſiaſticos ordines & regulas conturbabat. Incertum quippe an peregrinantes illi Eccleſiæ Catholicæ leges ſervarent, an vero pœnis quibuſdam propter ſcelera ſubjicerentur, ob quas ſolum forſitan verterent. Inter illas difficultates ſtatutum eſt in Eccleſia, ne leges violarentur tam ſanctæ & incorruptæ communionis, vt quicunque domum ſuam deſereret, & in aliam tranſiret diœceſin, literis ex præſcripta canonum Eccleſiaſticorum lege inſtrueretur; ſive Epiſcopus is foret, ſive Preſbyter, ſive Diaconus, ſive laicus aut Mona-

chus. Qui enim ordinis Eccleſia-ſtici numero continebantur, ſuas plerumque Eccleſias nullo cum diſcrimine deſerebant, & laici pariter peregrinabantur, cum eſſet incertum an ad communionem Chriſtianam admitti deberent: quod ab vtriſque ſive avaritiæ cupiditate, ſive morum licentia factitatum conſtat. Tanto malo ac pæne inveterato remedium allatum eſt, tale quod in relato can. Nicæno legitur; in aliis vero pœna vt plurimum irrogata eſt, vt liquet ex iis quæ retulimus, & ex can. 17. Concilii Conſtantinopolitani in Trullo. ἐπειδήπερ διαφόρων ἐκκλησιῶν κληρικοὶ, τὰς ἰδίας ἐν αἷς ἐχειροτονήθησαν, ἐκκλησίας καταλιπόντες, πρὸς ἑτέρους συνέδραμον ἐπισκόπους, καὶ γνώμης δίχα

τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου, ἐν ταῖς ἀλλοτρίαις κατετάγησαν ἐκκλησίαις, ἐκ τούτου τε συνέβη ἀνυποτάκτους αὐτοὺς καταστῆναι· ὁρίζομεν ὥστε ἀπὸ τοῦ ἰανουαρίου μηνὸς τῆς παρελθούσης τετάρτης ἐπινεμήσεως, μηδένα τῶν ἁπάντων κληρικῶν, κἂν ἐν οἱῳδήποτε τυγχάνῃ βαθμῷ, ἄδειαν ἔχειν, ἐκτὸς τῆς τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου ἐγγράφου ἀπολυτικῆς ἐν ἑτέρᾳ καταλέγεσθαι ἐκκλησίᾳ. ἐπεὶ ὁ μὴ τοῦτο ἀπὸ τοῦ νῦν παραφυλαττόμενος, ἀλλὰ καταισχύνων τότε ἐπ᾽ αὐτῷ, τῷ τὴν χειροτονίαν αὐτῷ ἐπιτεθεικότα καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ παραλόγως αὐτὸν προσδεξάμενος. quod eſt: *Quoniam diverſarum Eccleſiarum Clerici proprias Eccleſias, in quibus ſacrum ordinem ſuſceperunt, deſerentes, ad alios Epiſcopos convolarunt, & ſine Epiſcopi ſui licentia, in alienis Eccleſiis cooptati ſunt, adeoque contigit ipſos immori-*

geros fieri ac rebelles; decernimus neminem Clericorum quocunque in gradu conſtitutus ſit, a menſe Januario poſt quartam monitionem, licentiam non habere in alia Eccleſia admitti, abſque proprii Epiſcopi dimiſſoria ſcripto exhibita. Et qui ab eo tempore id non obſervat, ſed ſpernens in eo illum a quo ordinem per manus impoſitionem recepit, deponatur & ipſe, & qui ipſum contra legem admiſit. Canones hic 5. & 20. Concilii Calchedonenſis omitto, in quibus ea ſeveritate cautum eſt, ne proprias Eccleſias deſererent Clerici, vt iis ſacra communione interdiceretur; Clericis non modo, ſed etiam Epiſcopis qui contra legem illam quemquam peregrinum admitterent. Mitto item Gratianum qui in hanc

ſententiam ſcribit c. 2. diſt. 73.

XXV. Concilium Meldenſe, ſeu potius Pariſienſe, can. 50. illud diſerte ſtatuit: *Ut Preſbyteri, vel quilibet Clerici in alterius parochia, ſine Formata non recipiantur, neque retineantur, nec etiam miniſtrare ſinantur.*

XXVI. Eliberinum Conc. can. 48. ſtatuit vt primus ſolum Epiſcopus provinciæ, hoc eſt, Metropolitanus, expendat an Literæ Formatæ, ſive Canonicæ veræ ſint, & non ſubreptitiæ.

XXVII. Milevitanum II. can. 20. *Placuit vt quicunque Clericus propter neceſſitatem ſuam alicubi ad comitatum ire voluerit, Formatam ab Epiſcopo ſuo accipiat: quod ſi ſine Formata voluerit pergere, a communione removeatur. Quod ſi alicubi ei*

repentina neceſſitas orta fuerit, ad comitatum pergendi, alleget apud Epiſcopum loci illius ipſam neceſſitatem, & de hoc ſcripta ejuſdem Epiſcopi deferat. Formatæ autem quæ a Primatibus, vel a quibuſcumque Epiſcopis, Clericis propriis dantur, habeant diem Paſchæ. Quod ſi adhuc ejuſdem anni Paſchæ dies incerta eſt, illi præcedens adjungitur, quomodo ſolet poſt conſulatum in publicis geſtis ſcribi. Idem quoque Hiſpalenſe ſecundum cap. 7.

XXVIII. Canones Apoſtolici 12. & 33. ante citati id docent, Canon item 41. Concilii Laodiceni: ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικὸν ἢ κληρικὸν ἄνευ κανονικῶν γραμμάτων ὁδεύειν. *Quod non oportet Sacerdotem, vel Clericum ſine Literis Canonicis viam ingredi.* Canon 42. huic etiam

quadrat, decernitque non eſſe peregrinandum Eccleſiaſticis ſine conſenſu Epiſcopi. Quid de can. 11. Calched. & 15. Nicænæ Synodi ſecundæ, in quibus id cavetur diligenter? & in quibus cauſa non reticetur, nimirum ad vitandam inanis gloriæ cupiditatem, aut negotiationem & turpe lucrum, quibus vt plurimum rebus incitati Eccleſiaſtici Eccleſias ſuas ſolent deſerere?

XXIX. Vigilius Pontifex Romanus epiſt. 10. ad Aurelium Arelatenſem, illud quod modo diximus, ſcribit: *Ne quis*, ſcilicet, *ſine Formata tuæ fraternitatis, ad longinquiora loca audeat proficiſci.*

XXX. Pleni ſunt libri omnes Literis illis Canonicis ſive Formatis. Paulinus Nolanus ad

Amandum ſcribens epiſt. 21. *Marium portitorem hujus epiſtolæ commendatum ſpecialiter vnanimitati tuæ, vt, ſicut rogavimus ſanctum Epiſcopum & Patrem noſtrum ita ordinetur a vobis.* Non aliter Wolfeo Conſtantienſis ad Bernaltum Argentarienſem ſcribit, de Clerico Annone: *Commendatum ergo eum curæ veſtræ ſuſcipite, & ex noſtris partibus abſolutum in veſtrarum ovium numero cuſtodite.* Mitto Formatam quam ſcripſit Hedilo ad Radulfum Laudunenſem. Mitto quoque Ebroinum Bituricenſem in Formata ad Magnonem Senonenſem Archiepiſcopum.
» Has literas commendatitias, in-
» quit, more Eccleſiaſtico factas
» ad ſanctitatem veſtram miſimus,
» vt ſcire valeat Deo digna cari-

tas veſtra, eum nec fuga lapſum, «
nec ſua malitia a nobis ejectum, «
ſed noſtra voluntate deſtinatum. «
Mitto etiam alias plurimas tum apud Burcardum Vormacienſem, Ivonem Carnotenſem, Gratianum, Marculfum & alios. Atque vt diſcrimen inter Clericos & laicos facile cognoſceretur per literas, non eaſdem Clericis dabant, atque laicis. Sidonius Apollinaris lib. 6. epiſt. 8. *Agnoſcetis profecturo civi me epiſtolam, Clerico debuiſſe Formatam.* & lib. 7. epiſt. 2. *Literas meas ad Formatæ vicem, ſcilicet vt lector, elicuit.*

XXXI. Atque vt Eccleſiæ hujuſmodi literarum ope, deliberabant de rebus religionis, vt quid facto opus eſſet, ſtatim amplecterentur, inde apud

Theodoritum lib. 4. c. 9. Patres Concilii Illyrici per Elpidium ſcribunt ad Eccleſias Aſiæ, Phrygiæ, &c. vt Nicænam fidem recipiant ac prædicent, ſicque depellatur error diabolicus, eoque depulſo, pacificis literis ſe invicem in pace degentes poſſint amplecti. hoc eſt: δυνησόμεθα εἰρηνικοῖς γράμμασιν ἑαυτοὺς προσκυνεῖν, ἐν εἰρήνῃ διάγοντες. Si quis vero plura de communicatione rerum ad Eccleſiam ſpectantium Canonicarum beneficio velit, adeat S. Cyprianum in epiſtolis, in quibus curioſitati ſuæ poterit ſatisfacere, vt & Euſebium legendo variis in locis, ac maxime lib. 6. cap. 42. Hæ enim literæ teſtes erant, & ſymbolum communionis & amoris.

XXXII. Quod vero pæne exciderat, hic attexam, tam laudabilem videlicet viſam fuiſſe illam conſuetudinem, ſive legem Canonicarum, vt olim Romæ nullus advena admitteretur ad S. Petri Baſilicam, niſi prius literis ſuis per fidei confeſſionem confirmatis. Quod etiam in Pyrrho Conſtantinopolitano obſervatum fuiſſe teſtatur S. Maximus Abbas, in ſua celebri diſputatione. Hinc Stephanus primus legatos S. Cypriani, quod ejus decretis de hæreticorum baptiſmo nollent acquieſcere, necdum confirmatis pro more eorum literis. Nec, inquit, ad colloquii « ſaltem communis ſermonem ad- « miſi, præcipiens fraternitati « veſtræ, ne quemquam eorum in «

„domum ſuam reciperet; vt ve-
„nientibus non ſolum pax &
„communio, ſed & tectum & ho-
„ſpitium negaretur. Communio quippe illa vetita erat, vt jam monuimus.

xxxiii. Ac licet quilibet Romam proficiſcentes, Canonicas deferrent ad Pontificem; qui a Pontifice mittebantur, his literis non indigebant. Nicolaus enim primus epiſt. 70. ad Hincmarum, Photium Conſtantinopolitanum intruſum arguit, & invaſorem expulſo Ignatio, quod a legatis epiſtolas commendatitias, contra conſuetudinem poſtulaſſet, cum eſſet Pontificis literas accipere, non autem dare. *Et adhuc, quod eſt gravius,* inquit, *& inſanius, a miſſis noſtris contra*

omnem regulam & præter omnem conſuetudinem, libellum fidei, ſi ſe ab illis recipi vellent, exigere moliebantur. . . . . necnon & epiſtolas Canonicas ab his ei quem ſuum œcumenicum Patriarcham appellant, dandas improbe requirebant.

XXXIV. Addit Concilium Sardicenſe canone 9. ſi Epiſcopi negotia in aula Principum haberent, mittendos eſſe Diaconos, qui amicos Epiſcoporum hortarentur ad opem præſtandam apud Regem; ſi vero in Curia Romana negotia vrgerent, eoſdem mittendos Diaconos cum literis commendatitiis, qui adirent Julium Pontificem, rem aperirent, vt ipſe expenderet an juſta eſſet poſtulatio, adeoque admittenda; an vero contineret

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1396

aliquid aut parum modeſtum, aut etiam injuſtum, ſicque abnueret Pontifex, ſicut jam retulimus, factum a Metropolitanis ex Alexio Ariſteno. At quod ad Epiſcopos ſpectat, duriorem his legem impoſitam quam aliis, deprehendes ex Criſconio in Brev. can. qui ex Hoſio in Conc. Sardicen. tres vltra hebdomadas Epiſcopum abeſſe non poſſe ſtatuit, & quidem ad colligendos fructus in agris. Hanc in ſententiam diſcedunt interpretes omnes ad can. 11. & 12. Sardic. Concil. Balſamon, Zonaras, Alexius, &c. μὴ πλέον ἐκεῖσε μενέτω κυριακῶν τριῶν διαστήματος. *Non amplius quam dominicarum trium ſpatio ibi remaneat.* Concilium diſertis verbis, ſolis tantum tribus

dominicis abeſſe permiſerat, ἐπὶ τρισὶ καὶ μόναις κυριακαῖς. Addit tamen Alexius Ariſtenus quiddam de neceſſitate ſumma ad quam adigi poterant Epiſcopi: ἀνάγκης δίχα βαρυτάτης, δυσχερὲς δ' ἐπὶ πλεῖστον τὸν ἐπίσκοπον τῆς οἰκείας ἐκκλησίας ἀπολιμπάνεσθαι. hoc eſt: *Abſque neceſſitate maxima, intolerabile eſt Epiſcopum a ſua Eccleſia abeſſe* plus quam tribus hebdomadibus.

XXXV. Inter literas commendatitias annumerantur quoque literæ quæ a Patriarcha Conſtantinopolitano recens creato mitti ſolent, quæque fidei confeſſionem continent. Id habemus ex Leunclavio in Jure Græco-Romano lib. 6. pag. 439. edit. 1596. Francofurti.

XXXVI. Quod de Photio di-

ximus, adeo extra controverſiam eſt, vt cum Petrus Conſtantinopolitanus Patriarcha, Eugenio Pontifici ſynodicam miſiſſet, ex Eccleſia ejecta eſt. Martinus quidem Romanus Amando Epiſcopo in Gallia encyclicas miſit, vt teſtatur epiſtola ad eumdem. Sed intolerabilis viſa eſt Nicephori Patriarchæ audacia, qui ad Leonem Rom. ſynodicas miſit, licet ab Imperatore id ſibi prohibitum fuiſſet. quod refert Paulus Diaconus. Non enim erat jus Epiſcoporum ejuſmodi ad Romanum Pontificem ſynodicas mittere.

XXXVII. Addam iis quæ attuli nonnihil, quod etſi videatur extra lineam, ad Literas ta-

men Canonicas ſpectat. Antiochiæ olim ludi Circenſes tanto ſtudio actitati ſunt, vt ſæpe Antiochenſium Primates ad mercandas quadrigas vſque in Hiſpaniam mitterent; qui vero ejus negotii cauſa proficiſcebantur in provincias, a viris principibus literas commendatitias obtinebant.

XXXVIII. In literis Clericorum conſignandis Eccleſiæ diſciplina attendebatur, ne vagari aut inſoleſcere, tanquam nulli Canoni ſubditi viderentur. Expendebatur quoque an juſta eſſet petitio, an vera proficiſcendi cauſa proponeretur; ſiquid enim ejuſmodi deſideraretur, tunc aut literæ non concedebantur, aut conceſſæ erant

inutiles. In laicis vero, eorum neceſſitas, ſi operibus potiſſimum clariores eſſent, ſpectabatur. At revera duo maxime erant cavenda. Primum, peregrinos illos revera eſſe pauperes: alterum dignos eſſe quibus eleemoſynæ erogarentur. Si alterutrum deeſſet, aut inutiles erant Canonicæ Literæ, aut nullæ concedebantur, ſicut de Clericis diximus. Illud optime explicat Joſephus Ægyptius in can. 11. Calchedonenſem, cujus verba hæc ſunt: *Quod ad omnes pauperes, qui eleemoſynas rogant, mandamus nunc ut ſcribantur iis epiſtolæ, cum inquiſitum fuerit in eorum negotia: & quod digni ſunt eleemoſynis, & quod eis neceſſaria deſunt.* Darem hic Arabica, niſi accepiſſem non ita

pridem characteres Arabicos, alioſque Orientales, neſcio quo fato periiſſe, nulloſque extare nunc in Gallia, quamvis ſuperioribus annis elegantiſſimis ejuſmodi typis inſtructiſſimum typographeium magno ſumptu ex liberalitate Principis conflatum eſſet. Quæ ſane jactura magno literatorum dolore ac detrimento, neſcio cujus hominis malevolentia, contigit, nec facile reſarciri poterit, niſi Principis invictiſſimi Ludovici Magni munificentia, qui ad rerum geſtarum magnitudinem, ne quid non laudabile ſuſcepiſſe videatur, linguarum Orientalium ſtudium fovebit, & typos in hanc rem quaſi poſtliminio reverſos, in priſtinum decorem

reſtituet, ne quid in poſterum ejuſmodi ſtudia detrimenti patiantur, quæ apud nos frigere admodum videntur. Quod autem in vſu Arabibus fuiſſe literas ſyſtaticas, ex eo deprehendes, quod in linguam ſuam vocem levi deflexione tranſtulerunt ex Græco. Iis ſcilicet hæ literæ dicuntur *Ketaabn ſiſtatikiin*, quod a Græcis vſurpaſſe nemo non perſpicit.

XXXIX. Quæ hucuſque attigimus, Clericos tantum & laicos peregrinantes ſpectare videntur; non ea tamen eſt Eccleſiæ lex, non is ſenſus Conciliorum, vt Epiſcopi ab hac lege immunes dicantur. Nulla quippe in re ſacris Canonibus cautum eſt majori ſollicitudine,

quam ne Epiſcopi abſque literis peregrinarentur, & extra diœceſin ſuam abſque juſta cauſa vagarentur. In Collectione Criſconiana quam jam inſinuavi canone 160. Non licet Epiſcopo a ſua " Eccleſia abeſſe plus quam tribus " hebdomadibus. "

XL. Fuit etiam olim is ritus & diſciplinæ ſeveritas, vt ſi ad Synodum profecti eſſent Epiſcopi, Literis Canonicis muniti eſſe deberent; adeo vt Synodus & Concilium dici non poſſet, ad quod ſine Canonicis conveniſſent Epiſcopi. Maximus in diſputatione cum Pyrrho Synodum eſſe pernegat, quam convocaverant Pyrrhus & Sergius: quoniam qui convenerant, non habebant commendatitias; neque

Epiſcopi a Metropolitanis, neque Metropolitani a Patriarchis. συστατικὰς οἱ συνελθόντες οὐκ εἶχον, οὔτε οἱ ἐπίσκοποι ἀπὸ τῶν μητροπολιτῶν, οὔτε οἱ μητροπολῖται ἀπὸ τῶν πατριαρχῶν. Quod certa lege & fixa adeo conſtabat, vt ad leges politicas poſtmodum tranſierit. Qui enim Clerici aut Monachi, ad comitatum, ſive aulam Imperatoriam proficiſcebantur ſine Epiſcopi literis, pro Clericis aut Monachis non habebantur, neque adeo eorum fruebantur privilegiis. Docet iſtud L. 22. C. *de Epiſc. & Cler.* καὶ μὴ νομιζέσθω ὅλως κληρικὸς ἢ μοναχὸς ὁ συλλαβῶν ἐκτὸς τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου, τὸ κομιτάτον εἰληφώς. Quod Græca per συλλαβῶν ἐκτὸς exprimunt, Latina per *citra fiduciam* loquuntur; ſunt autem συλ-

γράφαι Literæ Canonicæ. De qua voce neque veteres Grammaticos, nec Gloſſaria ſollicite vrgebo, ne rem mihi plane ingratam videar præſtitiſſe.

XLI. Ut autem Eccleſiaſtica lex plenius intelligatur, repetenda ſunt pauliſper quæ velut in anteceſſum jam propoſuimus; idem enim de Epiſcopis ac de Preſbyteris fere ſemper decretum eſt in hac materia. Apoſtolicus canon 33. Epiſcopos cum Preſbyteris conjungit: *μηδένα τ̃ ξένων ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων*, &c. Tenentur itaque eadem lege ex hoc loco Epiſcopi non ſecus ac Preſbyteri. Quid hic juvat repetere can. 11. Concilii Antiocheni ſupra recitati? Quid pariter recenſebimus can.

23. Concilii Carthaginenſis ? In eo enim iis prohibetur, ne mare tranſmittant : ὁμοίως ἐπίσκοποι πέραν θαλάσσης μὴ ἀποδημείτωσαν, εἰ μὴ μετὰ ψηφίσματος τῆς πρώτης καθέδρας τοῦ ἰδίου ἑκάστης χώρας ἐπισκόπου· τουτέστιν, εἰ μὴ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πρωτεύοντος κατεξαίρετον λάβῃ, τὴν, ἤ τις λέγεται ἀπολυτικὴ, τετυπωμένην, ἤτοι παράθεσιν. hoc eſt : *Pari modo Epiſcopi trans mare non peregrinentur, niſi ex decreto primæ Cathedræ vniuſcujuſque regionis Epiſcopi : id eſt, niſi a Primate ipſo Canonicam habuerit, quam dimiſſoriam vocant, ſcripto exaratam cum juſta expoſitione.*

XLII. Vigilius Pontifex Rom. epiſt. 7. jus ſuum dandæ Formatæ Epiſcopis, impertitur Auxanio Arelatenſi, vtpote cui ſuas vices commiſerat. *Nullus de Pon-*

tificibus tuæ per has vices ordinationi commiſſis, in longinquis quibuſlibet locis audeat proficiſci, ni ſolenni more (ſicut deceſſore noſtro prædeceſſori veſtro ſimiliter concedente conſueverant) Formatam veſtræ caritatis acceperit. Cui teſtimonio aliud e Gallia conjungemus ex Epiſcopo, & quidem Gallo. Is erit Hincmarus etiam Rhemenſis: Laudunenſem Epiſcopum nepotem ſuum arguit, quod ſæpius extra diœceſin profectus eſſet abſque literis ſui Metropolitani.

XLIII. Quaſi vero hæc non ſufficerent, ad comprimendam hiſce temporibus Epiſcoporum licentiam, leges civiles in eo vigilaſſe; in id armatas fuiſſe certum eſt, eoque vigore vt pro Clericis non haberentur, qui ſi-

ne literis ſyſtaticis divagari auderent. Illud petendum ex L. *Si qua*, 22. §. 1. Cod. *de Epiſc. & Cler. Præterea jubemus, ut omnes Clerici atque Monachi, qui de ſuis civitatibus ad hanc almam urbem eccleſiaſtici negotii vel religionis cauſa proficiſcuntur, literis Epiſcopi, cui unuſquiſque eorum iter faciens obſequitur, muniti adveniant, ſcituri quod ſi citra hanc fiduciam acceſſerint, ſibimet imputabunt quod non Clerici vel Monachi eſſe putabuntur.*

XLIV. De Epiſcopis equidem huic regulæ ſubditis nulla mentio hac in lege, ſed idem Imperator aliis in locis Epiſcopos peculiariter notat & diſtinguit Novel. 6. cap. 3. in qua mentione facta de Clericis ſubjungit: μὴ ἄλλως δέ τινα τῶν θεοφιλεστά-

τῶν

τῶν ἐπισκόπων θαῤῥεῖν στέλλεσθαι πρὸς ταύτην τὴν εὐδαίμονα πόλιν, πρὶν ἂν εἰ μὲν τις ἐπίσκοπος εἴη γράμματα λάβοι τοῦ οἰκείου μητροπολίτου πρὸς τὴν βασιλείαν, ταῦτα δὴ κατὰ τοὺς θείους κανόνας συστατικὰ καλούμενα, τὰ μαρτυροῦντα τὸ ἀναγκαῖον τῆς αὐτοῦ παρουσίας· εἰ δέ γε μητροπολίτης εἴη ὁ παραγίνεσθαι βουλόμενος, γράμματα κομίσαιτο τοῦ τῆς διοικήσεως πατριάρχου, τὴν αὐτοῦ παρουσίαν ἀναγκαίαν εἶναι λέγοντα; οὕτω γὰρ δεῖσθαι βασιλέα, καὶ ἐπιτρέπεσθαι τὴν ἐνταῦθα παρουσίαν, καὶ μὴ προχείρως παρὰ γνώμην τῶν μητροπολιτῶν, ἢ πατριαρχῶν ἀποδημεῖν. hoc eſt : *Non aliter vero vllum Deo amantiſſimorum Antiſtitum audere proficiſci in hanc felicem vrbem, priuſquam, ſi ſit Epiſcopus, literas obtinuerit a proprio Metropolita ad regiam, quæ quidem juxta ſacros canones commendatitiæ*

vocantur , quæque ipſum neceſſario adeſſe teſtentur : ſi autem qui proficiſci cupit , ſit Metropolitanus, literas attulerit Patriarchæ illius diœceſeos, quæ neceſſariam ipſius præſentiam probent, eoque Regem opus habere, & ipſius præſentiam poſtulare , nec temere ac ſine licentia Metropolitanorum aut Patriarcharum peregre proficiſci. Monent vero hæc verba Imperatoris , ſeu potius jubent , Epiſcopos legis tenore comprehendi ; iiſque prohibitum , vt & Clericis aliis , ſine Canonicis peregrinari. Cum enim propter auctoritatem , dignitatemque quam ſummam obtinebant in Eccleſia , populis exemplo eſſe debeant , atque ex iis petenda ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervatio , optime ſancitum eſt ne

ſedes ſuas delererent, inconſul-
tis Metropolitanis aut Patriar-
chis. Etſi vero hoc loco Juſti-
niani ea lex renovata ac denuo
ſtabilita recte videatur; adden-
dus tamen alter locus ex Novel.
86. cap. 8. οὔτε δὲ μοναχὸν, οὔτε κληρι-
κὸν, οὔτε ἐπίσκοπον κελεύομεν ἔρχεσθαι
ἐνταῦθα, δίχα γραμμάτων τοῦ ὁσιωτάτου
αὐτῶν πατριάρχου· ἢ εἰδέτωσαν, ὡς
ἀναξίους ἑαυτοὺς τοῦ σχήματος ποιήσουσιν.
hoc eſt: *Neque Monachum, ne-
que Clericum, neque Epiſcopum huc
venire compellimus, ſine literis ſan-
ctiſsimi ipſorum Patriarchæ, alioſ-
quin ſciant, quod ſuo ordine indignos
ſe præſtant.* Canoni itaque ſubje-
ctos fuiſſe Epiſcopos certiſſi-
mum: atque etiam obiter no-
tandum, Sixtum I. decreta quæ-
dam de rebus Eccleſiaſticis ſta-

tuiſſe, vt legitur lib. *de Romanis Pontificibus*, inter quæ illud eſt:
„Quicunque Epiſcopus evocatus
„fuerit ad ſedem Romanam Apo-
„ſtolicam, rediens ad parochiam
„ſuam non ſuſcipiatur, niſi cum
„Formatis ſalutationis ad plebem
„a ſede Apoſtolica.

XLV. Tanta vero humanitate agebatur cum iis qui peregrinantes ejuſmodi literas, eaque ratione quam diximus, deferebant, vt in eo maxime divini numinis opem mirari debeamus, qua fiebat vt amore tam ſincero tamque fraterno ſe ſe invicem Chriſtiani amplecterentur. Et qui communione illa & pacifica non fruebantur, ii ambire eamque poſtulare annitebantur. Hinc factum vt Valens & Urſa-

cius, de quibus verba fecimus pag. 41. cum Athanaſio communionem poſtulabant, vt diximus, & apud Athanaſium ad Solitarios : ὥσπερ ὑπὸ τοῦ συνειδότος μαστιζόμενοι μετέγνωσαν, καὶ γράφουσι μὲν αὐτοὶ τῷ ἐπισκόπῳ φιλικὴν καὶ εἰρηνικὴν ἐπιστολήν. id eſt : *Veluti conſcientiæ ſtimulis agitati, reſipuerunt, ipſique Epiſcopo conſcribunt amicam epiſtolam & pacificam.* Unde vitio datum eſt S. Chryſoſtomo inter illa crimina ei falſo objecta, ſive viginti novem articulos quos contra ipſum non ſine ſcelere Monachi propoſuerunt, in Synodo ad Quercum in ſuburbio quodam Calchedonenſi : quod nimirum, Monachos cum Eccleſia pacem habentes, etſi commendatitiis literis munitos, in

carcerem conjeciſſet. Quod falſiſſimum & impie dictum in ſanctum Epiſcopum, nemo inficiabitur, qui tanti viri manſuetudinem noverit, & morum candorem, qui in omni vita & in omnibus ejus ſcriptis elucet; qui meminerit etiam tam pium, tam eruditum virum, neque leges Eccleſiaſticas ignoraſſe, neque quidquam contra eaſdem temere præſtitiſſe.

XLVI. Demonſtrata igitur Canonicarum origine, explicato vſu, & expoſitis varijs generibus, de forma quæ in iis conſcribendis vſurpatur, dicendum reſtat, de qua ita dicam, vt nihil prætermiſſe in re tam celebri videar, quod alicujus eſſe momenti videatur. Ideo enim opus iſtud

aggreſſi ſumus, vt quod certum & indubitatum eſſet, oſtenderemus, reique Eccleſiaſticæ majeſtatem ex antiquis canonibus & ſcriptis in lucem exponeremus.

XLVII. Quod ad Canonicarum Literarum notitiam reſtat, nobis paucis attingendum, docendumque qua ratione & qua forma conſcribebantur. Illud autem vt optime intelligatur, attendenda videtur forma, ſive earum conficiendarum modus, qui in Concilio Nicæno præſcriptus fuit.

XLVIII. Atticus igitur Epiſcopus Conſtantinopolitanus, de quo in ſuperioribus egimus, formam hanc præſcripſit. Græcorum eſſe inventum oſtendit

Græcarum literarum ratio quæ in iis adhibebantur. Attici itaque forma qua fieri debebant, hæc erat. Græca elementa literarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis Epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temere præſumeretur: hoc a Patribus CCCXVIII. Nicæam congregatis, & ſaluberrime inventum eſt & conſtitutum; vt Formatæ Epiſtolæ hanc calculationis ſeu ſupputationis habeant rationem. Id eſt, vt adſumantur in ſupputationem prima Græca elementa, Patris, & Filii, & Spiritusſancti, hoc eſt, Π, Υ, Α: quæ

elementa octogenarium, & quadringenteſimum & primum ſignificant numerum. Petri quoque Apoſtoli prima litera, id eſt, Π, quæ numerum octoginta ſignificat. Ejus quoque qui ſcribit Epiſcopi prima litera; cui ſcribitur, ſecunda; accipientis, tertia; civitatis de qua ſcribitur, quarta; & Indictionis, quæcumque eſt id temporis, idem qui fuerit numerus adſumatur: atque ita, his omnibus Græcis literis, quæ, vt diximus, numeros exprimunt, in vnum ductis, vnam quæcumque collecta fuerit, ſummam epiſtola teneat. Hanc qui ſuſcipit, omni cum cautela requirat expreſſe. Addat præterea ſeparatim in epiſtola nonagenarium & nonum numerum,

qni ſecundum Græca elementa ſignificat AMHN. In Concilio Carthaginenſi aliquid amplius quam in Nicæno præſcriptum eſt, nempe vt in Formatis dies Paſchalis illius anni apponeretur: ac ſi nondum definitus eſſet, tunc aſſumebatur dies Paſchalis anni præteriti. quod indicatur etiam can. 20. Concilii Milevitani II. quem antea retulimus. Apud varios ſcriptores occurrit hæc formula, ſed eam ex Sirmondi notis ad Concilia Galliæ tomo 2. deſcripſimus, cum ab aliis haurire potuiſſemus: Gratianum dico, Ivonem Carnotenſem, Burcardum, apud quos occurrit non modo formula, ſed & literæ ejuſmodi plurimæ extant, miſſis aliis ſcriptoribus

tum recentioribus, tum antiquis.

XLIX. Ex hac formula facile eſt animadvertere, numeros in Formatis duplicis generis adhiberi ſolitos. Quædam nimirum omnibus Canonicis communes eſſe, quoſdam vero diverſos, hoc eſt, ſingulis literis proprios. Qui communes ſunt ac ſemper iidem in omnibus, ſunt qui conſiunt ex primis literis Patris, Filii, & Spiritus-ſancti, ac Petri, id eſt, Π, Υ, Α, Π, quibus aptantur numeri 80, 400, 1, & 80; & ex literis ΑΜΗΝ, hoc eſt, 1, 40, 8, 50. hoc eſt 99. quorum numerorum ſumma eſt 660. Is numerus idem ſemper eſſe debet in Formatis omnibus; qui vero numeri proprii ſunt & privati literarum, ſunt qui

conficiuntur ex prima litera ſcribentis; ſecunda, ejus qui ſcribitur; tertia, illius ad quem ſcribitur; quarta, civitatis de qua ſcribitur; & ex Indictionis cujuſque nota, quæ quidem fere nunquam in variis ac diverſis Formatis reperitur. Unde ſi hæc exacte fiant, accidit vt in ſingulis literis diverſus numerus occurrat, ac proinde numerorum iis reſpondentium diverſa ſit ſumma.

Hæc autem ſi animo diligenter inhæreant, facili negotio quæcumque occurrent Formatæ, examinari poterunt, plureſque, ſi vetus ille vſus revocaretur, conſcribi ac confici. Variarum ejuſmodi Formatarum exempla dabimus, ad exercendam ſtudio-

ſorum diligentiam : tum etiam vt eruditorum curioſitati aliquantiſper ſatisfacere poſſimus. Sed antequam ad harum deſcriptionem veniamus, operæpretium erit, numeros cuique literæ ordine alphabetico reſpondentes annotare, vt numerus, ſive ſumma facilius conficiatur. Qui licet numeri ab aliis ſcriptoribus facile cognoſci queant, hic in laterculo quodam apponemus, nequid in hoc Commentario deeſſe videatur ad perfectiſſimam literarum harumce cognitionem.

Indiculus repræſentans quos numeros Græca elementa ſignificant.

Α α	1.	Ξ ξ	60.
Β ϐ	2.	Ο ο	70.
Γ γ	3.	Π π	80.
Δ δ	4.	ϟ	90.
Ε ε.	5.	Ρ ρ	100.
ϛ.	6.	Σ σ	200.
Ζ ζ	7.	Τ τ	300.
Η η	8.	Υ υ	400.
Θ ϑ	9.	Φ φ	500.
Ι ι	10.	Χ χ	600.
Κ κ	20.	Ψ ψ	700.
Λ λ	30.	Ω ω	800.
Μ μ	40.		
Ν ν	50.	ϡ	900.

Etſi vero apud varios auctores legantur, & facile ex iis deſcribi

poſſint Formatarum exempla: adducemus hic quædam, vt penitus qua ratione conficiebantur, cuivis innoteſcat.

I. WOLFEONIS CONSTANTIENSIS EPISCOPI *ad Bernaltum Argentarienſem, pro Annone Clerico, vt in ejus parochia manere, & ad ſacros ordines promoveri poſſit.*

Γ. Υ. Α. Γ. *Sanctiſſimo in Chriſto fratri, ſummaque dulcedine amplectendo,* BERNALTO, *Argentarienſis civitatis Epiſcopo, Wolfeon Conſtantienſis Eccleſiæ Præſul, perpetuæ beatitudinis optat in Chriſto ſalutem.* Υ. Ε. Ν. Σ.

De cætero noverit ſancta fra-

ternitas veſtra, quod iſte Clericus nomine Anno, *noſtra in parœcia, inſtructus ac detonſus, parvitatem noſtram rogavit, quatenus illi commendatitias literas conſcriberemus, quibus veſtræ celſitudini commendatus, ſub tuitione reginimis veſtri degere poſſit. Cujus voluntati conſentientes, ſecundum canonicam auctoritatem literas ei dimiſſorias dedimus, per quas & ipſi concedimus, vt ſub veſtro magiſterio divinæ ſervituti inſiſtens, ſuæ deſerviat vtilitati, & vobis licentiam tribuimus, vt ſi dignum eum judicaveritis, ad ſacros ordines promoveatis. Commendatum ergo eum curæ veſtræ ſuſcipite, & noſtris ex partibus abſolutum, in veſtrarum ovium numero cuſtodite. Quas literas, vt vigore veritatis firmatæ*

firmatæ indubitanter a vobis ſuſcipiantur, literis Græcis, vt Canonica docet auctoritas, confirmare ſatagimus. Sancta Trinitas veſtram beatitudinem ad regimen ſanctæ ſuæ Eccleſiæ perpetualiter bene valere concedat. ϛθ. *Indictione* x. Continet autem hæc Formata numerum 1325. Nam Indictio x. notatur, & numerus reſpondens υ, ε, ν, σ, ſimul cum Indictione faciunt 665. qui numerus eſt proprius, qui additus communi ex A M H N, 99. & Π. Υ. Α. Π. 561. dant ſummam 1325.

LI. TEUTGAUDI ARCHIEPISCOPI TREVIRENSIS *epiſtola generalis, ad Carolum Calvum Regem, Epiſcopos,*

& alios univerſos, pro Hegilone Preſbytero ad Sanctorum loca peregrinante.

Glorioſiſſimo & a Deo coronato magno & pacifico Regi Karolo, & omnibus beatiſsimis Præſulibus, cæteriſque in gradibus Eccleſiaſticis ordinatis, & univerſis in regno ejus ſæcularem adminiſtrantibus dignitatem, ſeu cunctis fidelibus Domini noſtri Jeſu Chriſti adventum diligentibus, TEOTGAUDUS *humillimus Trevirorum Archiepiſcopus, plenam pacem, & perpetui gaudii optabilem implorat ſalutem.*

LII. *Quia ſæpe fieri ſolet, ut magni viri, ſumma religionis arce conſpicui; virtutum robore prævalidi, armis juſtitiæ accincti, caſtitatis can-*

dore inſigniti, ſapientiæ decore præfulgidi, migrandi de ſuis locis concipiant amorem, quo per talem occaſionem; humanam poſſint ſubterfugere laudem, & minoris meriti æſtimentur ab extraneis, qui granditer honorificabantur a nobis. Plurima quippe ſunt iſtiuſmodi occaſionis veteris & novi Teſtamenti hortamenta, & evidentiſſima præ oculis documenta, quæ vobis, quia ſatis agnita eſſe non ambigimus, opportunius ea prætérimus. Hac igitur feliciſſima conſuetudine, & ſaluberrima doctrina commonitus quidam frater nobis cariſſimus, & cunctis benevolentibus, nomine HEGILO, *quia diœceſanus noſter erat, in noſtra videlicet diœceſi nutritus & tonſus, ſacroque dogmate ſanctarum Scripturarum pleniſſime eruditus, & honeſtiſſime converſatus,*

atque in Eccleſia nobis commiſſa, ad ſacerdotii dignitatem fuerat promotus, licentiam a nobis petiit, vt more canonico, abſolutione ſuſcepta, & largita ſibi benedictione, tutius atque ſecurius loca Sanctorum viſitare, & ad veſtram præſentiam liberius ac familiarius accedere valeret, ad quemcumque ex vobis illum itineris varietas perduxiſſet. Itaque nos petitioni ejus aſſenſum tribuentes, & venerationi illius conſentientes, adquievimus conſentiendo, quod ſecundum Deum deſiderare videbatur. Quocirca ſuppliciter deprecamur, & obnixe depoſcimus humanitatem veſtram, vt honorabiliter ſuſceptum, ſicut Dei templum & habitaculum Spiritus ſancti, veluti manſionem ſanctæ Trinitatis, quemadmodum pretioſiſſimum membrum Chriſti, ſicuti auctum do-

no, & largitate ſeptiformis gratiæ Dei, quocunque pervenerit, ſive modico, ſeu largiori ſpatio apud vos moraturus; benigne tractetis, humane exhibeatis: vt Chriſtum in eo ſuſcipientes, prout rogamus, fideliter pro illo meritum munificentiæ veſtræ adquiratis æternaliter. Denique cum propter memorabilem juſtificationem ipſius prærogativam, has vobis pacificas literas porrigere decerneremus, Operæpretium fore arbitrati ſumus, vt Græca quoque elementa ex nomine Patris Π, *& Filii* Υ, *& Spiritus ſancti* Α. *Primam quoque literam ex nomine beati Petri Apoſtoli* Π. *&* AMEN *in fine inſereremus, cum literis nihilominus Græcis ſummam illarum demonſtrantibus.* Φ Ξ Α. *vt per hoc vobis evidentius luceret honorificentia ejus, quem exoramus,*

præfixis apicibus ſanctæ Trinitatis, vt ſacroſancta Trinitas illum vtique conſervet, muniat, atque defendat, intercedente beato Petro Apoſtolo. AMHN *vero in extremo adponere ſtuduimus, optantes vt iter illius ſalubriter dirigatur, oculis divinæ majeſtatis efficiatur acceptabile, receptibile Sanctis, & memorabile in æternum, per Dominum noſtrum* Jesum *Chriſtum. Hac ratione, in hac epiſtola, Græca elementa poſuimus, non vt Canonicam Formatam formaremus, ſed vt eidem jam intimato* Hegiloni *proſpera per elementa indita precaremur. Valete. Dextera Dei Patris, per quem facta ſunt ſæcula, religionem veſtram tueatur, & bonam impleat voluntatem, juxta deſiderium veſtrum, omnes fideles, & cuncti beatiſſimi fratres, cum*

Rege Karolo , a Rege omnium Regum pro magnis meritis in perpetuum coronandi. Amen.

LIII. Per literas Φ Ξ A expreſſit tantum numeros communes 561. ſi enim addidiſſet 99. ex A M H N, confierent 660. Advertendum quoque hic Indictionem nullam annotari, vnde annum Chriſti expiſcari quis poſſet. Certum tamen eſt Caroli Calvi temporibus Teutgaudum Epiſcopum floruiſſe.

Addendam eſſe tot literis Formatam cenſuimus, quæ in Euchologio Græcorum occurrit, nobiſque ex Leonis Allatii codice tradita: quæ licet alio omnino ſenſu, aliaque de cauſa data ſit, vſum tamen oſtendit Orientalis Eccleſiæ, in qua peni-

tus abrogatas non eſſe Formatas, oſtendit. ΣΥΣΤΑΤΙΚΟΝ inſcribitur, hoc eſt, Formata ſive commendatitia.

Κατὰ πνεῦμα υἱῷ πατρὶ Κυρίῳ, τῷ δεῖνι, εἰς ἔνδειξιν καὶ ἀσφάλειαν.

Ἐγράφη ἐν τῷ ἡμετέρῳ οἴκῳ τῆς ἁγίας ἐπισκοπῆς ἀμαθουσίων κατὰ τὴν δοθεῖσαν τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἐξουσίαν ὑπὸ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, εἰς τὸ χειροτονεῖν διακόνους, ὑποδιακόνους, καὶ εἰς τὸ πρεσβυτέρου εἰσάγειν ἀξίωμα· καὶ διὰ ταύτης τῆς χάριτος, καὶ εἰς τὴν ἡμῶν ταπεινότητα διελθούσης, κατακεχειροτόνηκα πρεσβύτερον, τὸν ἐν μοναχοῖς Κῦριν τὸν δεῖνα, κατὰ τὴν συμμαρτυρίαν τοῦ πνευματικοῦ αὐτοῦ πατρὸς, κατὰ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων ἀποστόλων· δέδωκα δὲ αὐτῷ ἐξουσίαν ἱερουργεῖν ἀκωλύτως, ἐν ταῖς τοῦ θεοῦ ἐκ-

κλησίαις· ὅθε καὶ εἰς τοῦτο γέγονε τὸ παρὸν συστατικὸν τῆς ἡμῶν ταπεινότητος, καὶ ἐπεδόθη τῷ διαληφθέντι ἱερομονάχῳ Κύρῳ, τῷ δεῖνι, εἰς ἀσφάλειαν αὐτοῦ.

In teſtimonium & ſecuritatem filii ſecundum ſpiritum Domini Cyri N.

In palatio noſtro Epiſcopali Amathuntis ſcripta eſt, ex poteſtate a ſanctis Apoſtolis data Pontificibus, creandi Diaconos, Hypodiaconos, & in ſacerdotii dignitatem promovendi: ac propter illam gratiam, quæ in mediocritatem noſtram etiam pervenit, in ſacerdotii gradum adoptavi Monachum Cyrum N. exhibito nobis patris illius ſpiritualis teſtimonio, ſecundum Apoſtolicos cano-

nes : dedi ipſi liberam poteſtatem ſacri faciendi in Eccleſia Dei. Hanc ob cauſam mediocritas noſtra præſentem Formatam exaravit, & accipienti inter Monachos ſacerdoti Cyro N. in ipſius ſecuritatem contulit.

APPENDIX
DE
LITERIS TRACTORIIS
AC SYNODICIS.

APPENDIX
DE
LITERIS TRACTORIIS
AC SYNODICIS.

1. QUOD ſuperiori diſſertatione de Literis Canonicis explicare nobis erat propoſitum, variis caſibus ac difficultatibus maximis involutum eſſe atque obſeptum, nemo ſanus inficiabitur. Quæ vero nobis dicenda ſuperſunt, difficillimis non modo quæſtionibus implicata ſunt, propter contentioſas quorumdam obſer-

vationes, & falſas interpretationes; verum etiam, majori in iis explicandis ſtudio & attentione opus eſſe audacter aſſevero. Illud autem cum identidem animo mecum repeterem, Tractorias Literas ac Synodicas ad calcem hujus operis rejiciendas, & quaſi appendicis loco, exiſtimavi. Res quippe tam diſſimiles ſimul permiſcere, inſtituto noſtro parum convenire, illas vero ſeparatim & magno cum diſcrimine perſpicue explicare, operæpretium eſſe duxi. Unde nec caſu aut ſorte aliqua, ſed conſilio ac data opera factum, velim omnes intelligant, Tractorias illas ſeorſim ab aliis literis nos hic exponere. Si enim ſub Canonicis literas illas evocatorias

complecti fuiſſet animus, rerum penitus abſimilium permixtione Diſſertationem interturbare neceſſe fuiſſet, eaque ratione hiſcere quodammodo videretur oratio, reſque minus commode explicata. Ac quoniam de iis verba nobis facienda erant, ne deeſſet quidquam quod ad Diſſertationem a nobis inſtitutam conduceret, prudentis eſſe arbitrati ſumus, diligenter cavere ac proſpicere, quo maxime loco, & qua ratione illud eſſet agendum.

2. Ac ne res non neceſſarias attingamus, & promiſcuo rerum diverſarum ſermone quemquam offendamus; de Decretalibus, Paſchalibus, Clericis, Privatis, Captivorum, Memoria-

libus, & aliis ejuſmodi, ne verbum quidem vllum faciendum putamus. Quid enim ad antiquitatem rerum Eccleſiaſticarum faciunt illæ literæ, quarum vix vlla antiquitatem ſapit, quarum vſus pene nullus vnquam fuit, aut quæ infimorum temporum corruptela enatæ ſunt? Nihil ſane facilius, quam tam varia congerendo immenſam operis molem conſtruere, libroſque nullo delectu conſarcinare. Quis enim dicendi materiam, de iis quæ attigimus, ſibi ſatis amplam ſuppeditari diffiteatur, modo ne charta deſit, cui res tam multiplices illinantur.

3. Tractorias igitur hic tantum & Synodicas examinabimus, vtpote rei Eccleſiaſticæ neceſſarias,

rias: ac ſi quid de aliis perſtringamus, id a nobis obiter peractum iri, ſpondeo ac promitto.

4. Atque vt ſtemus promiſſis, Feſtivas & Confeſſorias literas paucis attingemus, atque veluti aliud agendo: neque enim illud erit inutile, modo tamen temporis non multum impendatur. Erant autem feſtivæ, quæ in ſolenni Martyrum feſtivitate, ſive natalitiis adhibebantur; quibus ſcilicet ſeſe invicem ſalutabant Chriſtiani, feſtos dies bene precando. Neque vero præſentes ſic ſeſe conſalutabant; ſed inter abſentes tantum illarum vſus erat, moſque ejuſmodi ſe literis ſalutandi. Teſtes non adduco: pleræque enim occurrunt tales literæ apud Theodor.

& alios, diverſis in feſtivitatibus datæ.

5. Verbum quoque addamus de confeſſoriis, quo ſtudioſorum curioſitati ſatisfaciamus. Erant autem ejuſmodi literæ, datæ Confeſſoribus, vt munere ſuo, atque e re Chriſtiana, fungi poſſent. Unde Concilium Eliberitanum can. 25. *Omnis qui attulerit literas confeſſorias, ſublato nomine Confeſſoris, eo quod ſub hac nominis gloria partim concutiant ſimplices, communicatoriæ ei dandæ ſunt literæ.* Quæ per ſe clara ſunt omnia & perſpicua, nullumque dubitandi locum eruditis relinquunt.

6. Garſias Loayſa ad cap. 7. Concilii Hiſpalenſis ſecundi, de confeſſoriis idem fere ac quod

diximus, ſtatuit, in quo a Franciſco Bernardino Ferrario reprehenditur. Immerito quidem, nam aliud plane a propoſito adducit Bernardinus, vt Loayſam erraſſe demonſtret. Qui dubitaverit, locum ipſe adeat. Certiſſimum quidem eſt, confeſſorias quoque literas vocari poſſe; (nam libelli dicebantur) quæ a Confeſſoribus in carcere dabantur, vt pœnitentes, lapſoſque etiam, & ἐπιτεθυκότας εἰδώλοις fidelibus commendarent. Unde Concilium Eliberitanum adduximus; & Arelatenſe primum in medium hic proferemus, Eliberitano penitus conforme can. 9. *De his qui Confeſſorum literas offerunt, placuit, vt ſublatis iis literis, accipiant communicatorias.*

7. Ideo autem confeſſorias literas in communicatorias tranſire exiſtimaverim, quod earum beneficio pax cum Eccleſiā, & cum aliis Chriſtianis communicatio reddebatur: quod eſt abſque vllo dubio veriſſimum. Si tamen Tertullianum, ſi B. Cyprianum attente legiſſet, in eum non eſſet lapſus errorem Franciſcus Bernardinus, neque Garſiam tam audacter carperet. Indulgebant equidem Confeſſores, ſive Martyres deſignati, iis qui ſcelerum magnitudinem exoſi, ac ideo divinum numen ea qua par eſt ſinceritate reformidabant, poſtulabantque pœnarum ſibi inflictarum aliquid condonari; eaque ratione libelli ab iiſdem Martyribus concedeban-

tur, qui literæ communicatoriæ dici potuerunt, propter redditam ſibi cum aliis communionem. Verum eo poſtmodum proceſſit abuſus, vt nullo diſcrimine hæc diplomata ſcriberentur. Unde Cyprianus, vt cuivis legenti patet, monuit, obteſtatuſque eſt Chriſtianos in carceribus detentos, ne temere votis pœnitentium annuerent. De quo ſatis ſuperque egimus in Diſſertatione noſtra, & olim etiam in notis & obſervationibus, tum ad Tertullianum, tum etiam ad eundem ſanctum Cyprianum. Ne igitur grandiori pagina turgeſcat oratio, & variis teſtimoniis rem per ſe ſe clariſſimam proſequamur, de Tractoriis vt paucis agamus, tempus poſtu-

lare videtur.

8. Tractoriæ nomen a tractu viæ publicæ derivatur, quam ſcilicet ſequebantur ii, quibus ejuſmodi literæ impertiebantur; neque enim a trahendo vox illa deſumenda eſt, quod Bernardino Ferrario contigit, & aliis qui cum ipſo errarunt, quique quid continerent Tractoriæ, quibus de caufis darentur, haud ſatis animadverterunt.

9. Tractoriæ itaque, de quibus titulus eſt integer in codice Theodoſiano; de Tractoriis & Stativis, ut & in Juſtinianæo; literæ erant, ſive diplomata ad curſum publicum perficiendum. Concedebantur autem a Principe, quamvis poſtea Præfectus Prætorio, atque etiam Magiſter

Officiorum, id juris ſibi tribuerint, vt patet ex l. 9. Cod. *De Curſu publico.* Diploma illud, ſive evectio curſus publici, ideo concedebatur, vt qui a Principe ſive accerſerentur, ſive mitterentur, publico curſu, & ſtativis, ſive diverſoriis vti poſſent. Quod quidem jus abſque illo diplomate vſurpare non erat licitum: vnde Caſſiodorus lib. 4. Variar. c. 7. curſualem tractum dixit. De his ſtativis & diverſoriis multa dixit Jacobus Gothofredus in Notis ad hunc Cod. Theod. Quem conſulere poterit, quiſquis varias in Jure acceptiones, vſuſque varios apud Juriſconſultos diligenter expendere voluerit. Neque enim Tractorias hic annonarias, dimiſſo-

rias, Synodicas, denuntiatorias, procuratorias, & alias id generis exponere neceſſe eſt, quæ ad rem Eccleſiaſticam minime pertinent, de qua tamen ſola ſolliciti ſumus.

10. Nomen illud Tractoriæ, primum adhibitum eſt, vt evectio illa exprimeretur, qua miſſi vel evocati a Principe, aut a Præfectis Prætorio, publicæ vecturæ jus haberent, ſuaque diligentia publicorum etiam Tabellariorum celeritatem anteverterent: hoc eſt, ἐπιταχύνουσι τὰς πομπὰς τῶν γραμματοφόρων. Unde Gloſſæ Ncmicæ interpretantur: κέλευσις ἐπάρχου, ἣν καὶ κομβῖναν, ἤτοι σύνθημα περὶ τῶν δρομικῶν ζώων: *Præfecti juſſionem quæ combina, ſive ſynthema de vecturis dicitur.* Rem non mul-

tis luculenter explicat Euſtathius anteceſſor lib. *de temporum intervallis* : τρακτωρεῖαι ἐλέγοντο αἱ κελεύσεις αἱ παρὰ τῶν ἐπάρχων, προφάσει ζώων δρομικῶν διδόμεναι, ἃς καὶ κομβίνας ἡ αὐτὴ γλῶσσα καλεῖ ῥωμαίων, τουτέστι σύνθημα. id eſt : *Tractoriæ dicebantur juſſiones a Præfectis datæ cum vectura publica, quas & ipſa Romanorum lingua combinas vocat, hoc eſt, ſynthema.* Tractoria igitur idem eſt ac ſynthema, ſynthema idem ac combina: combinare vero eſt κατὰ δύο ζευγνύειν ; & κατὰ τέσσαρα ζευγνύειν, conquaternare. Vid. Gloſſar. in Combino, & σύνθημα. Apud Chryſoſtomum de Circo vox κομβίνευμα, & κομβινεύειν eſt combinam mittere, ſive ſignum emittendis equis dare.

11. Qui evocabantur, vt diximus, equos publicos combinabant, & viæ ſe committebant; iis autem licitum eſſe conſtat ad publica diverſoria pergere literarum ope: ea tamen cautione, vt qui Tractoriis ex conceſſione vterentur, vltra triduum in ſtativis non morarentur. qui enim illud vſurpabant ſine literis, iis multa quædam irrogari conſueverat. Illud teſtatur Julius Capitolinus in Pertinace, ſtatim ab initio. *Dein*, inquit, *Præfectus cohortis in Syria profectus, T. Aurelio Imperatore, a Præſide Syriæ, quod ſine diplomatibus curſum vſurpaverat, pedibus ab Antiochia, ad legationem ſuam iter facere coactus eſt.* Apud Marculfum & alios, formulæ ejuſmodi literarum

occurrunt, a quarum recitatione abſtineo, ne longior ſim, quam res poſtulat.

12. Literarum ejuſmodi vſus ab Imperio ad Eccleſiam tranſlatus eſt, & a Romana politia mutuatus; quod etiam inſinuant Marculfi Formulæ. Neſcio an huc quoque referri poſſit quod habet Herodianus de Commodo, qui amicitiæ teſtes literas mittens, majorem in ſpem Romam illum ſe evocare dicebat: γράμματά τε φιλικὰ ποιήσας, καὶ μείζοσι φήσας καλεῖν ἐλπίσιν αὐτὸν ἥκειν κελεύει.

13. In rebus igitur Eccleſiaſticis Tractoriæ epiſtolæ dicuntur, quæ vocatoriæ S. Auguſtino. Variis de cauſis conſcribebantur, ac primum quidem a Rege

ſolo, tum ab Epiſcopis. Unde Galliæ Epiſcopi in Concilio Pariſienſi (Meldenſe vocant) can. 71. a Carolo Calvo poſtulant, vt *auctoritatem ſigillo regio roboratam more Tractoriæ Chriſtianiſsimus Princeps ſingulis donet Epiſcopis, quam quiſque Epiſcoporum penes ſe habeat: vt quando ei neceſſe fuerit, per eamdem auctoritatem, & reipublicæ miniſtros conveniant, vt ipſi, in quibuſcunque civili indiguerit auxilio, Reipublicæ miniſtris concurrentibus, ſuum, immo divinum poſſit rite peragere miniſterium.* En Tractorias ſigillo regio munitas, a Rege poſtulatas, de quibus etiam mentionem faciunt Capitularia Caroli Magni.

14. Deinde Tractorias ejuſmodi ſcriptas conſtat ad evocandos

Epiſcopos ad Concilium, aut locum iiſdem indicatum ab Imperatore. Talis eſt epiſtola Conſtantini ad Miltiadem Romanum, in cauſa Cæciliani, ſive pro componendis diſſidiis, & ſopiendo ſchiſmate Donatiſtarum in Africa: δι' ἧς σύνοδον ἐπισκόπων ἐπὶ ῥώμης κελεύει γενέσθαι, ὑπὲρ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἑνώσεώς τε καὶ ὁμονοίας. id eſt: *Qua Epiſcoporum Synodum Romæ fieri jubet, pro unione & concordia Eccleſiarum.* Apud Euſebium lib. 10. Extat & alia ibidem ejuſdem Imperatoris ad Chreſtum Syracuſanum, qua ſecundam fieri jubet Synodum, ut omnes inter Epiſcopos diſſenſiones extinguerentur: in qua ſumendam ſtatuit vecturam eidem publicam e Sicilia a Latro-

niano, δημόσιον ὄχημα, quem ſecum adducere debebat, vt intereſſet Arelatenſi Concilio.

15. Ex his obſervandum venit, Gothofredum a quodam argui, exiſtimante præceptum non fuiſſe in iis Tractoriis, vt qui eas deferrent, e publico exciperentur. Ex eo male reprehendi Gothofredum conjiciendum eſt, quod licet ſtrictim ac diſertis verbis in Tractoria id non exprimatur; ſequitur tamen ex conceſſione Principis, vt curſu publico vterentur, & in ſumptus iiſdem neceſſarios cuncta miniſtrarentur. Quid enim aliud innuit Conſtantinus, dum Epiſcopos ad Nicænum Concilium convocavit, quos verbis honorificis invitabat? συνήργει ὃ καὶ αὐτῇ παρέξει τὸ

βασιλέως νεῦμα, οἷς μὲν ἐξουσίαν δημοσίου παρέχων δρόμου· οἷς δὲ νωτοφόρων ὑπηρεσίας ἀφθόνους. hoc eſt : *Huic autem actioni plurimum Regis conſilium , quibuſdam enim publici currus poteſtatem fecit , quibuſdam vero equorum liberalem vſum & magnificum.* Idem Imperator magnificentiùs adhuc ex auctore antiquo, qui Conciliorum omnium collectionem & expoſitionem conſcripſit, cujus codex MS. a Chriſtiano Ravio ex Oriente allatus eſt olim. ἐκέλευσε κοινῷ γράμματι τοὺς ἐπισκόπους ἅπαντας ἐπὶ τὴν τῆς Βιθυνίας νίκαιαν συνελθεῖν διὰ δημοσίων ἵππων καὶ ἀναλωμάτων. quod eſt: *Juſſit edicto publico vt Epiſcopi omnes Nicæam venirent , quæ eſt Bithyniæ , vectura publica & commeatu.*

16. Acceptis ejuſmodi literis evectionis publicæ, ſive ad Synodum, ſive etiam ad Comitatum, aut locum ab Imperatore deſignatum, Epiſcopi ſi morbo, ſi neceſſitate aliqua adſtricti, proficiſci non poſſent, in eadem Tractoria cauſam exprimere debebant. Sic in Capit. Caroli Magni: *Placuit vt quotieſcunque Concilium congregandum eſt, Epiſcopi & Preſbyteri, qui neque ætate, neque ægritudine, aut alia graviori neceßitate impediuntur, competenter occurrant; quod ſi occurrere non potuerint, excuſationes in Tractoria conſcribant.* Cui decreto conformis eſt can. 16. Africanus. S. Auguſt. pariter ep.217. ad Victorinum Tinſigitanum, qui Numidiæ totius Primatum tenebat, excuſat ſe, quod

quod intereſſe Concilio non poſſet, ad quod per Tractoriam fuerat evocatus. *Tractoria*, inquit, *ad me quinto Idus Novembris venit, jam finito die, & me valde indiſpoſitum invenit, vt occurrere omnino non poſſem. Lego in eadem Tractoria etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum, quas provincias ſcimus ſuos habere Primates.*

16. Miror equidem vehementer homines tanto amore in literas inflammari, vt cum Tractoriis, Tractatorias neſcio quas velint obtrudere, & multiplex literarum genus nobis confingant. Liberalior eſt amor iſte, quam vt verus & exquiſitus eſſe poſſit: ſi enim rationem audiamus, & veterem Eccleſiæ vſum, comprimi tantiſper, & recti fi-

nibus debet contineri. Baronium accuſat Franciſcus Bernardinus, literas ſuas Baronii judicio non probatas animadvertens. Quis autem niſi ſomnians talia deliraret? nihil de Tractatoriis ſuis in Annalibus Eccleſiaſticis deprehendit, continuo Baronium inſectandi occaſionem arripuit, ſed infeliciter. Extra culpam eſſet Baronius, ſi aliud crimen nullum in rerum noſtrarum explicatione admiſiſſet. Ut enim iterum moneam, ſi Epiſcopi ad iter ſe nollent accingere, in eadem qua evocabantur Tractatoria, abſentiæ cauſam inſerebant. Illud modo probavimus, addendumque illud putamus, Fr. Bernardinum magnum quiddam geſſiſſe exiſti-

mare ſe, dum ex falſa lectione & corrupta loci S. Auguſtini, in quo pro Tractoria, *Tractatoriam* legit, ſuam opinionem ſtabilire conatus eſt. Locus eſt conc. 2. in ſecundam partem Pſalmi 36. vbi de Donatiſtis agit, & epiſtolam Synodicam Concilii Cabarſuſſitani Tractoriam vocat.

18. Encyclicas, ſive circulares dictas fuiſſe, dum pro Synodicis vſurpatæ ſunt, nullus dubitare poteſt: ac quoniam eadem forma ad plures ſcribebantur, Formalium etiam nomine a pleriſque indigitantur, & Tralatitiarum. Illud ex Symmacho ad cap. 18. Eſaiæ elici poteſt ſcribente: ἀποστόλους γὰρ εἰσέτι καὶ νῦν ἔθος ἐστὶ ἰουδαίοις ὀνομάζειν τοὺς ἐγκύκλια γράμματα περὶ τῶν ἀρχόντων αὐτῶν

κωμιζομένους. hoc eſt : *Nunc etiam mos eſt Judæis, Apoſtolos vocare; literas ab ipſis Præfectis ferentes.*

19. Nonnunquam etiam Primates, ſive Metropolitani, Epiſcopos ad Concilium per has literas evocabant; quod ex loco jam laudato Auguſtini ſatis innoteſcit, & alio ejuſdem ad Donatiſt. poſt Collat. cap. 24. vbi agit de Epiſcopis, qui eo loci convenerant, aitque: *Sic autem a Primate ſuo per Tractoriam fuerunt evocati.* Patet etiam ex Africano Concilio ſub Bonifacio & Celeſtino, in quo Mauritaniæ Cæſarienſis Epiſcopos excuſant Lucianus & Sylvanus Epiſcopi, Mauritaniæ Sitifenſis legati: eo quod ſi nondum adeſſent, cauſa certe legitima im-

pediebantur, nempe quod ſe-rius quam par eſſet, ad eoſdem Tractoria perveniſſet; illoſque non defuturos confidere ſe teſtati ſunt, vbi Tractoriam ſibi conſcriptam accepiſſent.

20. Mitto hic referre Tractoriam Zoſimi, de qua mentio fit apud Marium Mercatorem cap. 3. Commonitorii, (ſi modo opus ſit Marii) de qua etiam S. Auguſtinus: Tractoria enim illa non erat ex illo genere literarum, ſed Synodica, vt & Tractoria Siricii Pontificis Romani, quam in Concilio Telcptenſi recitavit Privatus Notarius: ambæ enim Synodales erant literæ.

21. Poſtremis temporibus Tractorias vocabant Epiſcopi, literas quas per vicarios homines

mittebant ad electiones aliorum Epiſcoporum, quibus adeſſe non poterant. Exempla vbique obvia ſunt, ſed illuſtris eſt ejuſmodi Tractoria Prudentii Tricaſſini Epiſcopi, quam per Vicarium miſit ad Æneæ Pariſienſis ordinationem, cum ipſe intereſſe non poſſet.

22. Neque omittendum eſt Epiſcopos Tractorias aliquando dari conſueviſſe pœnitentibus, vt ii ad quos pergebant, eos non aliam ob cauſam peregrinari cognoſcerent. In quo demonſtrando, tempus non teram: lectores aut curioſos, aut dubios remitto ad Tractoriam, quæ occurrit cap. 10. inter veteres Formulas poſt Marculfum, in qua pœnitens quidam com-

mendatur, cui impoſita erat peregrinatio.

23. Antequam manum de tabula tollerem, potuiſſem ſane varias hic literarum ſpecies referre, quæ multis ignotæ ſunt & inauditæ; potuiſſem hic diptychas & polyptychas, tam ex Jure Civili, quam e Canonico proferre; potuiſſem quoque ad reſcripta vſque Pontificis divagari: ſed hæc omnia libenter omitto. Mitto quoque dimiſſorias literas, quæ vulgo Apoſtoli dicuntur apud Jureconſultos, per quas is a quo appellatum eſt, cauſam ad eum qui appellatur, tranſmittit. L. *Lucius*, D. *de jur. fiſc.* & L. 1. D. *de libell. dimiſſ.*

24. Synodicæ nobis literæ expendendæ ſuperſunt, de quibus

ita nobis agendum, vt & de Tractoriis nonnulla curſim repetamus. Erant igitur Synodicæ epiſtolæ, quæ ab Epiſcopis medio conſeſſu proponebantur, tanquam fidei teſtes, & communionis catholicæ, quam ejuſdem fidei profeſſione obtinebant. Mittebantur etiam literæ Synodicæ ab Epiſcopis abſentibus ad Concilium, addita poſtulatione de quibuſdam emendandis, ſi opus eſſet. Quod ab Orientalibus Epiſcopis factum, nimirum Hieroſolymitano, Antiocheno, & Alexandrino, vt videre eſt in Concilio Nicæn. II. act. 3. quo lectorem amandamus brevitatis ſtudio, ne tædioſi videamur.

25. Sæpius vero Synodicæ Tractoriæ vocabantur: vnde Con-

ſtantinus M. in Synodica ad Concilium Tyrium, in qua miſiſſe ſe ait Dionyſium virum conſularem, vt exploraret quid ageretur, quo ordine omnia gererentur, qui ex evocatis Epiſcopis adeſſent, qui etiam deeſſent; in eos graviter animadvertendum cenſuit, qui per Tractoriam vocati, hoc eſt, Synodicam, non ſiſterent ſe coram conſeſſu, eaque ſeveritate animadvertit, vt pleroſque exilio etiam multaverit. Convocatum autem hoc Concilium norunt omnes, arte & induſtria adverſariorum S. Athanaſii, qui Conſtantino ſuaſerant, Athanaſium Concilio haud interfuturum, quod indicendum proponebant Cæſareæ in Palæſtina. Emine-

bant tunc temporis inter hoſtes Athanaſii Euſebius, Theogonius, Theodorus Perinthius, ſive Heracleenſis, qui omnes legibus ab Imperatore latis haud obtemperaturum Athanaſium audacter dictitabant. Nihil obſtat quominus ejuſdem Imperatoris epiſtolam ad Ablavium ſcriptam ac præfixam Actis Concilii Arelatenſis referamus: verum monemus tantum mandatum eſſe Ablavio, vt data evectione publica, per Africam & Mauritaniam & Hiſpanias, ad quas brevi maris tractu pervenire poterant Epiſcopi, convocarentur, & ſingulis Tractoriæ darentur, vt Concilio ad conſtitutum diem adeſſent.

26. Infinita propemodum Sy-

nodicarum literarum exemplaria, innumeræ occurrunt formulæ, apud veteres, hiſtoricos præſertim, & Patres nonnullos, inter quos numerandus potiſſimum eſt Athanaſius. Inſignis vero locus eſt apud Sozomenum lib. 7. c. 11. de Pontifice Romano, qui Paulino Epiſcopo Antiocheno conſuetas literas miſit, quæ Synodicæ vocantur. *καὶ παυλίνῳ μὲν ὡς ἐπισκόπῳ ἀντιοχείας τὰς συνήθεις ἔγραψεν ἐπιστολὰς, ἃς συνοδικὰς καλοῦσιν.* Quem in locum ſatis mirari nequeo Magdeburgenſium oſcitantiam, qui cap. 7. cent. 4. Synodicas cum pacificis imperite, ac more ſuo confundunt. Quid enim iſtud aliud eſt, quam nullo habito rerum delectu, omnia miſcere, & vægran-

dia volumina erroribus vndequaque implere?

27. Literas illas a Synodo conſcriptas ad Epiſcopos, cave ne credas ſingulares fuiſſe. Non enim ad vnum tantum erant ſcriptæ Epiſcopum, ſed eorum omnium qui accerſebantur, nomina in eadem Synodica continebantur, ex quo plerumque circulares vocatæ ſunt. Luculenter id probatur ex can. 90. Eccleſ. Africanæ, in quo Aurelius Epiſcopus Thagaſtenſis, venire ſe a Numidia teſtatur cum Auguſtino & Poſſidio: cumque vellet Epiſcopos excuſare, in ſuis ſedibus occupatos, propter naſcentes tumultus ait: ἐπεὶ καὶ τὴν συνοδικὴν τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης, τῷ ἁγιωτάτῳ γέροντι ξανθίππῳ ὡς δυνηγα-

γὸν συνεῖδεν περὶ τῆς προούσης ζητήσεως σύνοδον καταμηνυθῆναι. id eſt : *Statim atque Synodicam ſanctitatis veſtræ beatiſſimo ſeni Xantippo exhibui, de propoſita quæſtione Synodum indicari conjecit.* In quo obſervandum eſt interpretem τὸ συνοδικὸν vertiſſe *Tractoriam.*

28. Ubi convocato per Tractorias, ſive Synodicas literas Concilio aderant Epiſcopi, quæ oratio tunc fiebat, ſive de Eccleſiæ ſplendore, aut hæreſis pravitate, aut Imperatoris clementia, aut alia de re, Synodica quoque vocata eſt aliquando. Atque, vt obiter monui de emendatione, ſi quæ neceſſitas vrgeret, Epiſcopi dolorem ſuum Concilio teſtabantur, tum propter abſentiam ſuam, tum propter difficil-

lima Eccleſiæ tempora, in quæ inciderant: & Synodicæ nomine quoque in Concilio legebatur illa epiſtola. In eo numero habenda eſt epiſtola quæ a Theodorito refertur lib. 5. cap. 9. Patrum Conſtantinopolitanorum, ad Damaſum, Ambroſium, Brittonem, Valerianum, Aſcholium, Anemium, Baſilium, & alios qui Romæ tunc congregati. In illa quippe Conſtantinopolitani Patres dolorem ſuum contra Arianos teſtantur, aiuntque: ἐπειδὴ μέντοι τὴν ἀδελφικὴν περὶ ἡμᾶς ἀγάπην ἐπιδεικνύμενοι, σύνοδον ἐπὶ τῆς ῥώμης θεοῦ βουλήσει συγκροτοῦντες, καὶ ἡμᾶς ὡς οἰκεῖα μέλη προσεκαλέσασθε, διὰ τῶν τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως γραμμάτων. hoc eſt: *Quandoquidem fraternam in nos caritatem*

exhibuiſtis, Synodum, Deo concedente, Romæ congregantes, nos etiam veluti propria membra convocaſtis; per literas piiſſimi Imperatoris. Turbas deinde varias exagitant, quibus veluti graviſſimis tempeſtatibus concutiebatur Eccleſia, & divino ſe robore armatos teſtantur, ad ea omnia toleranda quæ accidere quoquomodo poſſent, modo ſarta tecta religionis cauſa haberetur.

29. Neque omittendam exiſtimaverim Synodicam Pariſienſis Concilii I. ad Orientales Epiſcopos, quam ideo indicamus, vt intelligant omnes quam ſincere & catholice Eccleſiæ Galliarum de religione ſentire conſueverunt. In ea quippe Synodica expoſita eſt fides Catholica,

& formula fidei ab Arianis con-
ficta & Arimini ſuſcepta, damnata eſt, & prave ſentientem Epiſcopum Arelatenſem Saturninum ab Eccleſia ejiciendum vno conſenſu decretum eſſe in eodem Concil. refertur. Dicebatur etiam Synodica, quæ ab Epiſcopis exarata erat, ad Concilium cui intereſſe non poterant, ſuæque abſentiæ cauſam, vt modo diximus, retulerant: in quo tamen ſententiam dicere literarum ope conſueverant. Neque alio etiam nomine vocabantur literæ quæ a Synodo ad abſentes conſcribebantur, in quibus quid actum eſſet, quid de re propoſita tenendum, inſtruebantur. Nicænæ Synodi Patres ad Eccleſiam Alexandrinam ſtatim

tim atque quid præſtandum eſ-
ſet, decretum eſt, ſcripſerunt,
vt refert Socrates lib. 1. ἀναγκαῖον
ἐφάνη παρὰ τῆς ἱερᾶς συνόδου, καὶ πρὸς
ὑμᾶς ἐπιστεῖλαι γράμματα· ἵν' εἰδέναι
ἔχοιτε, τίνα μὲν ἐκινήθη, καὶ ἐξητάσθη·
τίνα δὲ ἔδοξε καὶ ἐκρατύνθη. quod eſt:
*Sacræ Synodo neceſſarium viſum eſt
literas ad vos mittere, vt agnoſcatis
quæ propoſita & agitata fuerunt, &
quæ ſtabilita ſunt ac ſtatuta.* Ob-
ſervatum etiam illud eſt alia oc-
caſione in Conciliis quæ ob Pa-
ſcha contigerunt, ſub Victore
Romano, ab Aſiæ Epiſcopis:
quo tempore Theophilus Cæſa-
rienſis in Palæſtina Epiſcopus,
idemque Præſes & alii, veterem
Eccleſiæ traditionem ſtrenue
propugnarunt. Id nos docet Eu-
ſebius lib. 5. cap. 23. hiſt. Eccleſ.

πάντες τε μιᾷ γνώμῃ δι' ἐπιστολῶν, ἐκκλησιαστικὸν δόγμα τοῖς πανταχόσε διετυποῦντο. id eſt : *Omnes vnanimi voce, Eccleſiæ dogma per literas omnibus vndequaque expreſſerunt.* Diſſenſiones illæ de celebratione Paſchatis varios tumultus concitaverant, & in apertum erupturæ videbantur, niſi in Concilio Nicæno repreſſæ fuiſſent & compoſitæ : in eo quippe ſanctiſſime decretum eſt, quid ex vſu Eccleſiæ agendum eſſet. Ac quoniam pauci admodum erant qui lunaris motus rationes intelligerent ; Alexandro Alexandrino, Patrum vnanimi conſenſu, commiſſa res eſt, quoniam eo loci maxime vigere tum crederentur Aſtronomiæ ſtudia, qui ſingulis annis Romano Pontifici ;

Antiocheno, Hieroſolymitano & aliis, Paſchatis diem indiceret, vt Epiſcopis poſtea commode ſignificarent, & vnuſquiſque populis, quo tempore currentis anni Paſcha celebrandum foret, Epiphaniorum die publica ſynaxi promulgaret. Has autem literas Paſchales dictas fuiſſe certum eſt. Viguit mos ille tantum ad vſque Theophilum, qui e Preſbytero creatus eſt Epiſcopus Alexandrinus, qui ne iſtud denuntiare quotannis neceſſe haberet, Paſchata ad annos 95. computavit: quorum catalogum Theodoſio ſeniori dicavit an. 380. cujus imperii tum primus annus erat. Poſt hunc, catalogum accuratiorem alium confecit Cyrillus Alexan-

drinus annorum totidem 95. ſumpto initio ab anno Chriſti 437. Ne vero ſoli Alexandrini ſcientiam illam, aut jus quoddam ſibi vindicarent, Latini ad hæc ſtudia animum appulerunt; & Victorinus Afer periodum excogitavit an. 532. quam ab anno Paſſionis Chriſti inchoaſſe ſe credidit. Cum enim poſt 95. annos nova ſemper opus eſſet periodo, neque ſyzygiæ aut feſta mobilia eadem ratione recurrerent, ducta in cyclum ſolis Enneadecaeteride, periodum illam an. 532. quam Victorinam vocant, propoſuit, quibus elapſis Neomeniæ, ac feſta mobilia in eundem diem redirent. Hanc periodum poſtea adhuc correxit Dionyſius Exiguus, & annos

a Nativitate Chriſti, non autem ab æra Diocletiani computare docuit, ſuæque periodo initium dedit, quo tempore Cyrilli periodus deſinebat. Sed de his forſan copioſius dicemus alio loco.

30. Verum inter tot Synodicas epiſtolas, quæ paſſim apud Eccleſiaſticos ſcriptores occurrunt, nulla forſan illuſtrior eſſe poteſt, quam Synodica Conſtantini Magni ad Eccleſias conſcripta, quam refert Euſebius libro 3. de vita Conſtantini, quam etiam refert Socrates lib. 1. Hæc attendenda mihi potiſſimum videtur, tum propter ſtyli elegantiam, quam in omnibus tamen exhibet hiſtoricus, tum maxime propter res graviſſimas, de quibus non mediocriter ſol-

licitus erat Imperator. Poſtquam enim ſuam de fide Catholica curam propoſuit, de Paſchate valde anxium ſe oſtendit, cujus celebrandi tempus Nicæna Synodus ſanctiſſime ſtatuerat. Hortatur imprimis Chriſtianos omnes, ne cum Judæis ſolennem illum diem agant: καὶ πρῶτον μὲν ἀνάξιον ἔδοξεν εἶναι τὴν ἁγιωτάτην ἐκείνην ἑορτὴν τῇ τῶν ἰουδαίων ἑπομένους συνηθείᾳ πληροῦν. id eſt: *Indignum quidem*, inquit, *primum videtur ſanctiſſimum diem Judæorum veſtigia ſectantes, celebrare.* Additque ſtatim nihil nobis futurum eſſe debere commercii cum illa turba nobis tantopere inimica: μηδὲν τοίνυν ἔστω ὑμῖν κοινὸν μετὰ τοῦ ἐχθίστου τῶν ἰουδαίων ὄχλου. Quod etiam ibidem loci repetit, at-

que vno verbo concludit, propter diſſenſiones quæ tunc Eccleſiam vexabant, omnes Eccleſias vno eodemque die debere obſervare: μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ συντελεῖσθαι. Eximia antiquitatis ejuſmodi monimenta leguntur apud auctores Eccleſiaſticos, a quibus omnino jam abſtinemus. Quæ enim exprompſimus, argumento ſunt, Eccleſiam recens ab Apoſtolicis vberibus morum ſanctitatem & diſciplinæ vigorem aliquandiu ſervaſſe, quamdiu factio & ſecundarum rerum corruptelæ abfuerunt. Addo etiam poſt decretum Concilii generalis primi, poſt ſummi ac piiſſimi Imperatoris leges inter Chriſtianos, ritus tam ſancte præſcriptos parum viguiſſe, aut

legem tam ſegniter obſervatam, vt vno eodemque die ſæpe cum Judæis Paſcha peragamus. Laudabilis equidem zelus Gregorii XIII. cujus in eo curas invigilaſſe conſtat, vt errorem omnem tolleret. Parum felicem habuiſſe ſucceſſum, ejus conſilia fruſtra dolemus, non quidem ejus vitio, ſed hominum pervicacia & ſumma rerum, de quibus agebatur, ignorantia, qui Calendarium vetus ſuis interpolationibus turpiſſime fœdarunt: eoque nunc in ſtatu res ſunt poſitæ, vt plerumque cum Judæis, atque etiam aliquando cum Teſſareſcædecatitis concurramus. Si nobis Deus hujus vitæ vſuram largiatur, ſpretis malevolorum conſiliis & factionibus,

ejuſmodi errores, propoſita nova Calendarii forma, facile vitandos demonſtrabimus. Ex eo autem quilibet judicare poterit, ridiculos eſſe & in Aſtronomia parum verſatos, qui Calendarium ab omni labe & errore vacuum conſtrui poſſe negant: illud autem omne ad Dei gloriam, & Eccleſiæ decus ac ſplendorem pro noſtra parte præſtabimus.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

FINIS.

INDEX AUCTORUM qui in hoc opere citantur.

A

Abrahamus Ecchellenſis.
Alexius Ariſtenus.
Alphonſus Piſanus.
Ammianus Marcellinus.
Annibal Fabrotius.
Athanaſius S.
Auguſtinus S.
Auctor Græcus MS.

B

Baronius.
Baſilius S.
Bellarminus.
Burchardus.

C

Capitularia Caroli M.

Caſſiodorus.
Chriſtianus Ravius.
Chriſtophorus Juſtellus.
Chryſoſtomus S.
Criſconius.
Codex Juſtinianæus.
Codex Theodoſianus.
Cyprianus S.
Canones Apoſtolorum.
Concil.
- *Antiochenum*
- *Agathenſe.*
- *Arelatenſe.*
- *Ariminenſe.*
- *Carthaginenſe.*
- *Calchedonenſe.*
- *Conſtantinop. in Trullo.*
- *Cabarſuſſitanum.*
- *Eliberitanum.*
- *Hiſpalenſe.*
- *Laodicenum.*
- *Milevitanum II.*

Concil. { Nicænum I.
Nicænum II.
Pariſienſe, ſeu Meldenſe.
Sardicenſe.
Teleptenſe.
Turonenſe.

D

Digeſtum.
Dionyſius Exiguus.

E

Ebroinus Bituricenſis.
Euſebius.
Euſtathius Anteceſſor.
Euripides.

F

Franciſcus Bernardinus Ferrarius.

G

Garſias Loayſa.
Gelaſius Cyzicenus.
Gellius.
Gloſſæ nomicæ.

Gloſſarium.
Gratianus.
Gregorius NaZianzenus S.
Guilielmus Beveregius.

H

Herodianus.
Hincmarus.
Homerus.

I

Jacobus Cujacius.
Jacobus Gothofredus.
Jacobus Sirmondus.
Joannes Evangeliſta S.
Joannes Hieroſolymit. Patriarcha.
Joſephus Ægyptius.
Julianus.
Julius Pollux.
Julius Capitolinus.
Ivo Carnotenſis.

L

Leo Allatius.

Leo Magnus.
Leunclavius.
Lucianus.
Lupus Iprenſis.
M
Magdeburgenſes.
Marculfus.
Marius Mercator.
Matthæus Blaſtares.
Maximus Abbas.
N
Nicolaus I.
Novellæ Juſtiniani.
O
Optatus Milevitanus.
Origenes.
P
Paulinus Nolanus S.
Paulus S.
Paulus Diaconus.
Plautus.

Prudentius Tricaſſ.

R

Ruffinus.

S

Scholiaſtes Euripidis.
Scholiaſtes Harmenopuli.
Sidonius Apollinaris.
Sixtus I. PP.
Socrates.
Sozomenus.
Suetonius.
Syneſius.
Synodus ad Quercum.
Symmachus epiſt.
Symmachus interp.

T

Tertullianus.
Theodoritus.
Theodorus Balſamon.
Turrianus.

V

Victorinus Afer.
Vigilius PP.
Wolfeo Conſtant.

Z

Zonaras.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

PARISIIS,
Typis Viduæ EDMUNDI MARTINI, via Jacobæa, ſub aureo Sole.

M. DC. LXXV.

Digitized by Google